

TRACTATUS

17^

DE

ECCLÉSIA CHRISTI.

AUCTORE

PATRICIO MURRAY,

IN COLLEGIO S. PATRICII APUD MAYNOOTH, IN HIBERNIA,
SAC. THEOL. PROFESSORE.

“ Tu os Petrus :
Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam Meam .
Et Portæ Inferi non praevalent adversus Eam.”

VOL. I.

DUBLINII:

MCGLASHAN ET GILL, 50, UPPER SACKVILLE-STREET.

1860.

¶777.- right of Translation or Introduction is reserved.1

PRÆFATIO.

1. ZAUONIAM non solum gravissimum est hujus operis argumentum, sed etiam, iis saltem qui omnia in eo comprehensa plene et tuto investigare velint, innumera difficilia et involuta habet; et quia doctrina omnino sana et orthodoxa Theologo Catholico super omnia cordi esse debet; idcirco ab initio statui, quantumcunque in ceteris fine exciderem, doctrinam purifm pro viribus semper tueri, et ab omnibus sententiis et verborum formis vel minime suspectis prorsus declinare. Ad hunc finem securissime assequendum, manuscriptum ipsum Romam afferre, ut ibi censuræ subjiceretur, diu deliberavi. . Quod cum, ex variis causis, efficere non potuerim, volumen hoc primum, postquam typis exscriptum erat, Romam misi ad virum milii officiosissimum et humanissimum, R. P. Cardella, in Collegio Romano Professore. Hujus ope mihi ita successit negotium ut Theologum et in Urbe et in Orbe *vere* clarissimum, R. P. Perrone, haberem, qui opus magna ex parte perlustra-

ret, et quid de ejus animo et doctrina sentiret me certior redderet. Judicium ejus in Epistola habes quam ad me nuper dare dignatus est, quamque, nisi consiliis gravioribus et boni majoris rationi cedendum esset, ne in lucem ederetur modestia pudorque plane obstitisset. Quam grato igitur animo erga duos istos Patres religiosos afficiar verbis declarare non possum.

2. Etsi ut omnia argumenta suo modo valida et firma sint, tum in doctrina directe stabilienda, tum in objectionibus solvendis, diligenter elaboraverim, ea tamen omnia ejusmodi esse, in opere præsertim tam impedito et producto, attenta imbecillitate nostra, confidere nequeo. Si quæ ergo in his vitia deprehenderint lectores docti, opus mihi gratissimum præstabunt ea, ut curis secundis emendantur, per epistolam vel aliter indicando.

3. Ut adversariorum systemata et opiniones et argumenta quam fidelissime proferrentur, nullo labori, impensis nullis peperci. Omnia eorum scripta ad rem pertinentia, præsertim quæ apud suos pretio sunt maximo, diligentissime exquisivi et, quantum potui, comparavi et studiose perlegi. Non solum nullum eorum argumentum vel minimum extenuavi, sed e contrario haud semel ea ex meis adjeci quibus vires acquireret majores. Si tamen præter intentionem, me aliquando oscitanter egisse deprehendatur, id, quoque gratissimum mihi erit, si lapsus hujusmodi mihi significati fuerint. Notandum est vero me non semper voluisse singulorum scripto-

rum vel etiam sectarum sententias recensere: vid. D. 6, n. 55.

4. Meum orationis genus plerumque Latinum non est sed barbarum. Claritati, ut rei summæ, semper studui.

5. Nec in exquirendis locis Scripturæ aut Patrum, nec in alia quacunque operis parte conficienda, aliorum opera usus sum. Totum opus, qualecunque sit, meum est. Hoc dico, tum ad calumniam quandam præcavendam quam adversariorum quidam in his regionibus effutire solent, tum ne in mendis meis alii implicentur.

G. Plurium quæstionum de fidei natura, &c., cognitio iis perutilis vel etiam absolute necessaria est, qui argumentum de Ecclesia penitus nosse velint. Hinc mihi in more semper fuit, in schola mea, ante prælectiones de Ecclesia, prælectiones quasdam dogmaticas et scholasticas de fide habere. Quum vero olim non esset, neque adhuc sit, in Cursu nostro Maynoothiano tractatus de Fide dogmaticus, ideo summarium istud scripsi, unde enarrationes fusiores et explicatiores alumnis tradere solebam. Idem jam editum iisdem, forsitan et aliis, usui esse potest.

7. Totum opus tribus voluminibus huic similibus, si Deus dederit, absolvetur.

8. Librum hunc, et omnia scripta mea sive edita sive edenda, Sedis Apostolicæ et Romani Pontificis censuræ absolute et ex toto corde subjicio:—“Omnibus quippe modis in eo stabilita fides est, qui cæli claves accepit, qui

PRÆFATIO

et in terra solvit et ligat in celo. In eo siquidem subtiliores quælibet fidei quæstiones reperiuntur.”—S. Eripianus, *Ancor*

Ex Ædino Coll. S. Patrick.
In festo S. Matthæi Apost, et i'ranp.
21 Sepicmb. 1860

◆ Vide infra, l). 6, n. 165

EPISTOLA AI) AUCTOREM.

Clarissime Professor ac Rde Domine!

Licet nondum absolvere potuerim lectionem egregii operis tui quod *de Ecclesia* inscribitur, magna tamen ex parte illud perlustravi. Compro porro in eo non modo doctrinae copiam, methodi claritatem, antiquiorum recentiorumque scriptorum cognitionis magnam suppellectilem, sed quod magis laudi verti debet, arnoem haud exiguum, qui ubique se prodit, erga hanc Apostolicam Scdein. Principia vere Catholica constanter persequeris, hostibusque Catholicae Ecclesiae Te felici exitu opponis ita ut ad silentium eos redigas. Censeo ejusmodi laborem tuum ecclesiasticae juventuti, qui theologicis disciplinis dant operam, perutilem valde futurum, sed et omnibus Protestantibus qui illum inspecturi sunt posse adjumento esse ad veritatem inveniendam, amplectendamque.

Equidem novi judicium meum exigui esse momenti, attamen volui illud Tibi patefacere, tum ut testimonium sincerum praebere existimationis qua Te prosequor, tum ut stimulum novum adderem ad alia ejusdem valoris opera suscipienda atque molienda, tum etiam ut Tibi ex animo gratularer.

Verum non Tibi modo, sed et alumnis tuis Hibcmensibus gratulari intendo, qui tantum Professorem sortiti sunt: ita enim fiet ut tuis preelectionibus Civitati majori usque alacritate Catholicam Ecclesiam defendere pergant, prout hactenus ingenti bonorum gaudio, omniumque fidelium aedificatione egerunt.

Me demum Tuis precibus commendans, ex corde me profiteor,

Clarissime Professor,

Humilim in Dno,

JO. PERRONE, S.J.

DISPUTATIO PRIMA.

NOTIONES PRÆVIÆ DE FIDE.

Sectio Prima : De Natura, Definitione, et Divisionibus Fidei.

Sectio Secunda : De Motivo Fidei.

Sectio Tertia : De Objecto Fidei, quid sit?

Sectio Quarta : De Objecto Fidei, utrum decursu temporis augeatur ?

Sectio Quinta : De Certitudine Fidei objectiva.

Sectio Sexta : De Certitudine Fidei subjectiva.

Sectio Septima : De Fidei Obscuritate et Credibilitate.

Sectio Octava : De Libertate Fidei.

Sectio Nona : De Supernaturalitate Fidei.

Sectio Decima : De Necessitate Fidei ad salutem.

§ 1. Necessitas Medii et Præcepti in genere.

§ 2. Doctrina orthodoxa de necessitate Fidei, necessitate Medii.

§ 3. Item de necessitate Fidei, necessitate præcepti.

§ 4. Errores Protestantium.

Sectio Undecima : De Haeresi et Haeretico.

§ 1. Quae requirantur ad constituendam hæresim et hæreticum.

§ 2. De Consociatione hæreseos cum fide.

DISPUTATIO PRIMA.

NOTIONES PRÆVIÆ DE FIDEI.

Sectio Prima.—DE NATURA, DEFINITIONE, ET DIVISIONIBUS FIDEI.

1. *catfiduciam*, aliquando *promissionem* seu votum, aliquando *fidelitatem* in promissis, aliquando *conscientiam*, aliquando *objectum fidei* seu veritatem quæ creditur. Suarez, D. 1, S. 1; Amort, Quæst. Prol. Q. 15. Hic accipitur pro Habitu vel Actu assensus alicui propositioni dati propter auctoritatem alterius. Prout Auctoritas hæc divina est aut humana, fides ipsa divina aut humana vocatur.

2. Ad expositionem fidei in genere clariorem, imprimis notandum est quod, ad assensum prudentem et rationabilem alicui propositioni præbendum, necesse est ut motivum aliquod assensus rationabile habeamus. At tamen fidem haud raro præstamus motivo inepto ducti; et irrationabilitas talis motivi aliquando evidens est, aliquando non est evidens, et diligentiae plus aut minus requiritur ut de ista irrationabilitate constet.

3. Media habemus quædam ad veritatis notitiam certam aut probabilem perveniendi. Sic, per sensum intimum, actualis status mentis nostræ conscii sumus : per sensus externos, de existentia corporum et eorum qualitatibus certi sumus : veritates immediate evidentes ex earum intuitiva perceptione intelligimus. Quasdam veritates, v. g. mathematicas, argumentando a primis principiis, acquirimus ; alias vero, v. g. facta historica, ex hominum testimonio habemus.

4. Hæc media sciendi, seu motiva assensus, sunt vel *intrinseca* vel *extrinseca*. Nam, comparato subjecto propositionis cum ejusdem prædicato, vel (1) comperitam habemus eorum convenientiam—sive statim ex inspectione terminorum hæc convenientia percipiatur; sive, examine facto circa naturam rerum quæ terminis extremis designantur, aut circa naturam alterius rei, quæ, ut causa aut effectus aut adjunctum, ducit in notitiam illarum rerum; vel (2) prædictam convenientiam, hujusmodi mediis, non invenimus.^f

5. *Primo*. Si ex ipsa terminorum apprehensione, (ut fit in axiomatibus, v. g. “totum est majus sua parte”), convenientia eorum statim constet, tunc medium sciendi et motivum assensus est ipsa immediata et intuitiva evidentiâ veritatis propositionis. Si vero convenientia hæc non sit immediate evidens, fit evidens mediate examinatione propositionis, vel ope ratiocinii ex principiis intui-

* Hæc duo generatim idem significant, sub diverso conceptu. Media sunt quatenus ducunt in notitiam rei : Motiva sunt quatenus fundamentum assensus rationabilis præstant.

^f Quod dicitur de convenientia extremorum in propositione affirmativa vera, pariter de disconvenientia eorum in propositione negante vera, mutatis mutandis, affirmandum est.

tive evidentibus, vel ope experimentorum physicorum, vel aliorum, quæcunque sint, mediorum, quæ hanc convenientiam, ex natura rei de qua quæstio est, vel ejus causa, effectu &c., manifestant. Evidentiam hanc, (sive sit immediata sive mediata), seu motivum assensus, *intrinsecam* vocamus; quia oritur ex ipsius rei aut rei cum ea connexæ examinatione.

6. *Secundo.* Si vero, subjecto comparato cum attributo, nulla eorum convenientiæ appareat evidentia intrinseca, sive immediata sive mediata, hanc convenientiam aliunde cognoscere non possumus quam ex testimonio illius qui ipse talem evidentiam habet. Fieri potest quod per plurium manus testimonium hujusmodi ad nos usque traditum fuerit: sed patet aliquem ultimum esse debere testem cui convenientia prædicta, ex evidentia intrinseca, comperta sit. Sic, homo rudis, matheseos penitus ignarus, nec videt intuitive tres angulos trianguli esse æquales duobus angulis rectis, nec, per examinationem, hoc sibi evidens reddere potest. Aliud, igitur, motivum assensus rationabilis habere nequit nisi testimonium illius cui veritas propositionis, ex evidentia intrinseca, perspecta est. Sic, iterum, qui vidit aliquod factum aut locum, directe cognoscit existentiam illius loci et veritatem illius facti. Qui autem non vidit, non nisi auctoritate alterius credere potest. In hujusmodi casibus motivum assensus vocatur *extrinsecum*; et sic assentiens dicitur *habere fidem*. Uno verbo, evidentia quam parit testimonium et auctoritas alterius est extrinseca: omnis alia evidentia est intrinseca. LUGO, D. 1, n. 4; SALMANTICENSIS, D. 3, Dub. 2 (Proem.), n. 32; BELLARMIN. de Eccles. L. 4, C. 3; PERRONE, de Locis P. 3, n. 22, 24.

7. Motivum hoc extrinsecum non reddit convenient

tiam attributi cum subjecto *evidentem directe et in se*, sed tantum *credibilem* certo aut probabiliter, prout auctoritas certa sit aut probabilis. Auctoritas enim, ut sic, ostendit tantum *factum* convenientiæ. Sic, homo iste nidis qui audit a mathematico tres angulos trianguli æquales esse duobus angulis rectis, credit, et quidem rationabiliter, sed non magis quam antea percipit quomodo se res ita habeat. Si vero postea rationes intrinsecas, seu propositionis demonstrationem, examinaverit, evidentiam habebit intrinsecam. Et sic in omnibus aliis casibus.

8. Ex his patet differentia inter *scientiam et fidem* proprie dictam. In scientia enim *videmus* propositionem esse veram ex intrinseca evidentia: in fide *credimus* esse veram ex motivo extrinseco.

9. In ordine ad quædam postea tangenda in Disputationibus de Ecclesia, abs re haud erit hic item differentiam inter *rationem et fidem* obiter paucis delibare.

'*Yoç*. Ratio plures habet significationes. Impræsentiarum vero eam accipimus pro facultate illa-quam habemus veritates, sive per media intrinseca sive extrinseca, *sed tamen humana et naturalia*, inveniendi, et eas intelligendi, dijudicandi, comprehendendi. Ratio, igitur, prout contradistinguitur a fide *divina*, medium est veritatis comparandæ, &c., homini naturale, omnibus (etsi in diversis gradibus perfectionis,) Touimune, et omnino distinctum a medio extraordinario et supernatural!. Et plura omittamus quæ potius ad Tractatum de Religione pertinent, evidens est (et in isto Tractatu de Religione probatum), quod, etsi ratio humana plures potest veritates invenire, attamen plures esse quas, non tantum propter impedimentum superveniens interjectum, sed

etiam ex nativa et intrinseca sua impotentia, comparare nequit. Ut hæ sciantur, necesse est quod a Deo, aliquo extraordinario medio, quod Revelatio Divina vocatur, communicentur. Assensus qui datur veritatibus a ratione, per media intrinseca, comparatis, nullo speciali nomine, quod ego scio, gaudet; vocari autem potest *assensus scientiæ*. Si per medium extrinsecum seu auctoritatem pure humanam veritates a ratione comparentur, vocatur assensus fidei humanæ seu *fides humana*. Assensus qui datur veritatibus ut revelatione divina comparatis, sive aliunde a ratione sciri possint aut sciantur necne, vocatur *fides divina*.

10. *Definitiones Fidei*. *Habitus fidei divinæ defini potest Virtus theologica, qua homo, ob auctoritatem Dei, omnibus ab eo certo revelatis firmiter assentitur. Hæc fides est vel pure divina vel divino-catholica. Prior est quam jam definitivus: posterior eadem est cum addito, sciz., Virtus theologica, qua homo, ob auctoritatem Dei, firmiter assentitur omnibus ab eo certo revelatis, et nobis per Ecclesiam ad credendum propositis. Actus fidei est Actualis assensus firmus alicui aut omni veritati a Deo certo revelatæ, propter ejus auctoritatem. Quoties exhinc vocabulo fidei usi fuerimus, de fide divina, non autem humana, nisi contrarium significetur, loquimur.*

i VI'

11. *Divisiones Fidei*. I. *Fides est vel habitualis vel actualis.* II. *Est vel pure divina vel catholica.* III. *Est vel interna vel externa.* Iiæ divisiones, vel ex dictis vel ex ipsis terminis, claræ sunt.

12. IV. *Est vel explicita vel implicita.* *Fides explicita ea est qua creditur veritas quæ in se menti proponitur. Implicita est fides qua creditur veritas quæ in se menti non proponitur, sed quæ in alia veritate, quæ*

explicite creditur, continetur, implicatur. De Ime divisione redibit Hermo in Disputationibus de Ecclesia.

13. V. Ent vel *formata* vel *informis*. Formata est que sibi adjunctam habet choritatem seu gratiam sanctificantem. Informis est quæ existit in eo qui gratia sanctificante caret. Duri autem fidem informem ostenditur in Tractatu de Gratia.

14. VI. Est vel viva, quæ producit opera salutaria, vel *mortua* que non producit, aut non producit in quantum debet. l'ures confundunt hanc divisionem cum præcedenti, intelligentes per fidem formatam idem ac per vivam, et per fidem informem idem ac per mortuam. Sed, ut puto, melius HenNO, D. 1, & 1, Conci. 2; Kick, n. 611; Collet, A. 1, S. 1, et alii distinguunt. Fides equidem ita mortua esse potest ut simul informis sit. Attamen potest esse cum eo languore spirituali, (pii, etsi valde disponat ud peccatum mortale, non statim necessario expellit gratiam.

8wmo Bw v x da ^DE MOTIVO FIDEL

15. Motivum (seu, ut loquuntur Scholastici, objectum formale.) fidei illud est ob quod assentitur veritatibus u Deo revelatia; wu eat ultima ratio ob quam credimus revelatu a Deo.

• .. Suppono primo, objectum fonnak. H mah riabj in pni^nlî Di*-putatione <"W'illn quorum uni m. «ntiniur propter aliud. Hient etiam in nelibuH voluntati* objectum materiale «nt illud quod amatur propter aliud: objectum vero formai» cui illud propter quod aliud anmmiiM, Verbi gratin, hi amo» modtoinam propter «aniUtem, medicina e*t objectum materiale; wuiita* <>t objectum formule, quin quam informat et vcilit medic inam, qum « « undam » non moveret voluntatem, veniit» tamen a bouitute unitati» allicit ad aui amorem."—Ltoo, D. I, π. I.

16. Distinguendum est motivum hoc u causa efficiente actus fidei. Iime est habitus fidei, aut aliquid supplens locum habitus, et ea est per quam aut ex (pia efficitur netus fidei, non autem *propter* (piam credimus. Logo, d. 1, n. 6.

17. Vix opus est notare, quod adeo clarum est., existerere objectum fidei formale, et hoc omnino diversum ab objecto materiali, seu ipsa veritate credita. Nam objectum credendum non est per se evidens, et, ut ex dictis eat, ex dicendis magis, patet, quatenus est objectum *fidei*) non potest esse evidens. Ergo credendum est propter aliud.

18. In cpio igitur consistit motivum fidei? Omissis hic, hiereticorum sententiis postea refutandis; omissis item veterum quorundam theologorum sententiis antiquatis, ab omnibus hodie rejectis, et quæ videri possunt apud SaLMANTICENSES, D. 1, n. 73, &C.; Lugo, 1). 1, et alios; dicimus motivum fidei esse Auctoritatem Dei. HæC sententia nobis certa est; et, quantumvis obscure quidam docti auctores loqui videantur, aut inter se, de modo loquendi aut de punctis quibusdam scholasticis, ðissentire, quoad *rem* clare exposita, inter cos communissime, ut puto, recepta. Consulant. Suarez, D 3, S. 4, n. 7, et alibi; Lugo, D. 1, n. 56; Saluant. loco infra

* Hic Hai.mantief.nmkh, (juin Gonet, Bilj.ca iw, et iiHim multiM, dicunt motivum fldci congruUrro in voracitate Dni, «eu veritate in illic<n<lo, centra Hü abkz, qui <χ tequo cum vnicitnfi? ponit Kupicntinm Del, vu veritatem in copnojw.cndo. Attainen (I). 1, n. 72) admittunt requiri Snpii-ntinrn Dci, ni non in recto et formaliter, saltern nt connotatam et pncwnpp'o'ülivc. Nemo autem non videt illam ipneidioncm— An lapientia ingrediatur ideam ðuctoritati in recto aut in obliquo? puro «eholmiticam aut philosophicam»

citando, et in Cursu Morali Tract. 20, C. 2, η. 2 : WIGGERS, Q. 1, n. 7; VIVA, D. 1, Q. 1, A. 1, n. 9 ; BILLIART, et alii innumeri. Clare, more suo, et hanc auctoritatem Dei in quo consistit, et simul rationem quare vocatur motivum fidei, declarat CROIX, de Fide, n. 36 : —“ Auctoritas illa Dei est aliqua perfectio et excellentia in Deo, propter quam est dignissimus cui firmissime assentiamur, si ipse aliquid dicat. Reipsa autem ista auctoritas consistit in hoc quod Deus, qui hoc dixit, imprimis sit infinite sapiens, qui omnia sciat sicut in se sunt, nec potest falli; deinde quod sit infinite verax, qui aliter loqui non possit quam sciat, ideoque non potest fallere. Et hoc utrumque necessarium est. Nam si posset falli, quamvis non posset fallere, aut si posset fallere, quamvis non posset falli, non esset summe dignus cujus verbis firmissime assentiremur; utroque autem illo habito jam est summe dignus tali assensu.”

19. Disputatur *primo*, Utrum auctoritas Dei sit *ultimum* motivum fidei, ita ut quærenti cur revelata divina credas, ulterior non sit reddenda ratio ? Quidam Theologi dicunt veracitatem ulterius resolvi in ipsam Deitatem. Quærens enim, “Cur credas dogmata revelata ?” et responsum accipiens “Quia Deus revelans est summe verax,” iterum quæret “Cur credas Deum summe veracem ?” et ultimum responsum accipiet “Quia est Deus,” i. e. veracitas est infallibilis quia divina. LUGONI videtur haud multum referre, an resolutio ultimo fiat in Deitatem, necne; quod quidem verissimum est. Multo communior et mihi inulto probabilior sententia docet auctoritatem divinam, et non ipsam Deitatem, esse ultimum motivum. Etsi, enim. Deitas sit ratio auctoritatis, attamen non est ratio assensus qui præbendus est, qui

de facto semper præbetur propter auctoritatem, agam propter aliquid, nullomodo sequitur me ultimo agere propter ea quæ prævie necessaria sunt ad hoc aliquid constituendum—quæ sequela est vere totum fundamentum sententiæ oppositæ. Sic, si credam Petro propter ejus auctoritatem, non sequitur me credere propter ea quæ mihi probant Petrum esse sapientem et veracem, v. g. educatio ejus bona et Christiana. Sed hæc de tali quaestione sufficient.

20. Disputatur *secundo*, An auctoritas divina sit motivum *adæquatum*, ita ut ipsa revelatio non sit pars illius motivi? Multi Theologi docent auctoritatem divinam et revelationem simul constituere motivum fidei. Multi alii dicunt revelationem non ingredi motivum fidei, sed esse tantum conditionem sine qua non. Ratio est, quia revelatio ratione sui nullomodo movet ad credendum, sed tantum in quantum est revelatio Dei habentis summam auctoritatem; Ergo ex auctoritate Dei tota vis movendi derivatur. Ita HENNO, D. 1, Q. 3, A. 3; KICK, n. 648, &c., qui dicit hanc sententiam esse communiorem inter Scotistas, et apud quem breviter solvuntur argumenta adversa; HERINCX, D. 2, n. 22, qui item asserit esse communiorem inter Scotistas; MASTRIUS, n. 56, et alii Scotistæ contra SUAREZ, D. 3; LUGO, D. 1; VIVA, Q. 3, n. 1, et alios multos. Secunda sententia mihi probabilior est. Vide argumenta ex utraque parte apud Auctores citatos.

b v

Si

• 21. Disputatur *tertio*. Equidem in credendo ultimo sistit mens in auctoritate divina, tanquam in motivo adæquato et efficacissimo. Quæcumque præcedunt aut concurrunt, non propter ea ultimo creditur, sed propter auctoritatem solam. De hac autem ipsa auctoritate,

necnon et de revelatione, undenam et qua et quali certitudine nobis certa esse possit et debeat, quæstio gravis et valde difficiles atque perplexa inter *theologos movetur*. *De ea sic* scribunt Salmanticenses :—“ Habemus præ manibus, si quæ alia in universa Theologia, scitu discussionequæ dignissimam : continet enim difficultatem, quam qui perfecte diluerit, Theologorum profectui internæque credentium paci satis consultum ibit. Sed hoc opus, hic labor ; rem namque adeo implicatam aggredimur, ut vel gravissimi Theologi ægre ab illius labvrintliis expediantur.” *Salvanti*. D. 1, n. 153. Hanc quæstionem hic excutere nimis longum esset. Idem Salmanticenses, etsi in omnibus non placent, nobis videntur varia puncta quæstionis clarius *et* verius explanare quam cæteri quos vidimus auctores. Praeter illos consul. *Suarez*, D. 3, S. 6, et 12 ; *Lugo*, D. 1, S. 6 ; *Wiggers*, Q. 1, n. 37, &c. ; *Viva*, Q. 3, n. 7, &c. ; *Antoine*, S. 2, A. 5 ; *Daelman*, Obs. 2, Q. 3 ; *Henno*, D. 1, Q. 3 ; A. 4 ; *Lumbier*, n. 197 ; *Herincx*, D. 3, Q. 5, maxime a n. 47, *Mastrius*, n. 36, &c. ; *Kilber*, P. 1, C. 3, A. 3, et alii Auctores passi;

Sectio Tertia.—DE OBJECTO FIDEI: QUID SIT?

22. Fides objective sumpta, seu objectum fidei (quod objectum materiale vocant Scholastici), *est* omnis et sola veritas a Deo certo revelata. Igitur ut aliquid sit de fide credendum, duo requiruntur, 1^o. ut sit revelatum, 2^o. ut certo cognoscatur esse revelatum. De priipa conditione in hac Sectione loquimur; de secunda infra Sectione Quinta et Sexta loquemur.

23. Hic distinguendum est fidei objectum ab eisdem objecti subjecto. Fidei objective sumptæ subjectum

est res de qua aliquid creditur, ipsa autem propositio credita est objectum. Sic Ecclesia est subjectum de quo creditur Unitas, Infallibilitas, &c. Duplex est fidei subjectum sciz. primarium seu attributionis, i. e. quod tale est primario et propter se, et ad quod caetera subjecta referuntur: et secundarium seu attributum, i. e. quod refertur et ordinatur ad primarium. Subjectum fidei primarium est Deus; quia omnia quae per fidem revelantur eo tendunt ut melius cognoscatur et honoretur Deus. *Suarez*, D. 2, S. 2, n. 2.

24. *Vox Revelatio* aliquando sumitur pro objecto revelato, communius vero pro ipsa manifestatione. In hoc sensu duplex est, alia naturalis, quae valde improprie revelatio vocatur, et nihil aliud est quam manifestatio veritatis per medium rationis humanæ: alia supernaturalis, seu divina, quae est manifestatio alicujus veritatis credendae aut præcepti &c. implendi, homini a Deo aliquo extraordinario seu supernaturali modo facta. Sed de Revelatione, et ejusdem divisionibus in externam et internam, immediatam et mediatam, generalem et privatam &c. proprius dicendi locus in Tractatu de Religione. Hic tantum notandum est Revelationem ubique in S. Scriptura exhiberi ut Locutionem Dei, Verbum Dei ad nos factum. Hinc, ut inspicienti S. Scripturam statim patebit, mille locis occurrunt hæc:—“Locutus est Deus” aut “dixit Deus” ad Noe, ad Abraham, ad Moysen &c.; Sermo Domini,” “Verbum Domini,” et his similia. Illud igitur et illud solum revelatum est a Deo et objectum fidei quod Deus loquitur. Multis autem modis hominibus locutus est Deus, prout testatur S. *Paulus*, Hebr. i. 1.

25. Adverte tamen quod ut aliqua veritas sit reve-

lata non est necessarium quod hac vel illa fixa verborum forma exprimatur, v. g. ipsissimis verbis S. Scripturæ. Et hoc patet *Primo*, ex definitionibus *defide* factis ab Ecclesia, quæ verbis concipiuntur diversis ab iis quibus idem dogma exprimitur in S. Scriptura : quem modum definiendi secuta est ut (inter alia) hæc vel illa particularis hæresis, v. g. Protestantium de Reali Præsentia, clarius et pressius configeretur. Patet, *Secundo*, etiam ex S. Scriptura : eadem enim veritas semel tantum, et ideo unica verborum forma, a Christo manifestata, nihilominus a sacris scriptoribus diverso modo exprimitur. Sic forma consecrationis Calicis, apud Matth. xxvi. hæc est :—“ Hic est enim sanguis meus novi testamenti;” apud Marc. xiv. “Hic est sanguis &c.,” apud Luc. xxii. et 1 Corinth, xi., “Hic calix novum testamentum est in sanguine meo.” Similis est diversitas in narranda historia baptismi Christi, Matth. iii. 17 ; Luc. iii. 22, et alibi.

26. Idem patet, *Tertio*, ex ratione. Non enim potest esse quæstio de nudo cortice verborum, quæ diversis temporibus diversa significare possunt, juxta usum loquelæ ; sed quæstio est de ipsa veritate. Jamvero veritas est definite eadem, sive hac sive illa verborum forma exprimatur, modo utraque forma idem definite significet. Non putemus,” ait S. Hieronymus (Comment, ad Galat. i.) “in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu : non in superficie, sed in medulla : non in sermonum foliis, sed in radice rationis.”

27. Hinc obiter evertitur systema quorundam theologorum Protestantorum, sciz. nihil esse de fide, aut esse posse, nisi prout diserte et totidem verbis in S. Scriptura invenitur—(i. e. nihil eorum quæ in S. Scrip-

tura revelantur ; hic enim a verbo Dei tradito omnino abstrahitur). Neque contra argumentum jam (n. 2-5) ex exemplo ipsius S Scripturae allatum dicatur, quod, etsi Christi aut Dei Patris aut Prophetarum verba multiplici forma tradant Sacri Scriptores, totuplex est tantum revelatio unius et ejusdem loquelae Christi &c. quoad sensum ; inspirati enim erant illi scriptores. Sed quod competit scriptoribus *inspiratis*, certe non ideo competit aliis. *Respondeo* I. Quod scriptores revelationem antea factam referentes fuerint inspirati, vim nostri argumenti non solum non minuit sed auget, imo omnino firmam et ineluctabilem reddit. Illi enim scriptores, in locis supra (n. 25) allatis, non intendunt tradere neque tradunt novam revelationem, sed diserte et ex professo revelationem jam antea factam simpliciter narrant : et omnes ipsam eandem unicam revelationem narrant ; et, quum sint inspirati, fidelissime narrant. Sequitur ergo, quum illam eandem revelationem diversis verborum formis exprimunt, eandem revelationem, manentem eandem, diversis verborum formis exprimi posse. II. Concedo non cuivis competere revelatum tali aut tali forma in S. Scriptura, alia diversa forma declarare et definire, saltem ita ut alii obligentur ad hanc formam amplectendam, Sed inde non sequitur Deum non posse constituere aut non constituisse quosdam auctoritate suprema et coactiva præditos hujusmodi interpretationes et definitiones condendi. An de facto Deus tales constituerit iudices posthac suo loco videbitur.

28. Quoniam veritatis revelatæ non solum diversa esse potest forma declarativa ab ea quæ in verbo Dei invenitur, sed etiam in illa declaratione aliqua supponi

vel implicari possunt præter ea quæ in propositione revelata, qua forma revelatur, diserte et explicitè significantur, aut significari videntur; hinc gravis exurgit quaestio, Quid sit pure revelatum et solum ut *de fide*? In hac materia quædam obvia sunt et certa, alia vero satis difficilia.

29. *Primo*. Illud est revelatum quod totidem verbis in eloquio Dei continetur, v. g. propositiones istæ :—“ Creavit Deus coelum et terram”—“ Abraham genuit Isaac”—“ Verbum caro factum est.” Hoc patet.

30. *Secundo*. Omnis propositio quæ est identica, quoad sensum expressum, cum propositione expressa in verbo Dei, est ipsa revelata, v. g. revelata propositione Abraham genuisse Isaac, revelatur Abraham esse patrem Isaac, et Isaac esse filium Abrahæ. Hoc patet ex dictis n. 25, 26.

31. *Tertio*. Quod non est in eloquio Dei, vel totidem verbis vel æquivalenti propositione, contentum, non est revelatum. Ratio est, quia non est id definite quod dixit Deus ; verum non esset affirmare Deum illud locutum fuisse.

Hæc plana sunt, et ab omnibus, ut puto, quoad rem admissa. Sed difficultas est determinare casus in quibus propositio aliqua est, quoad sensum, identica cum alia, et casus in quibus non est identica.

32. In genere dici potest unam propositionem esse (totaliter vel partialiter) identicam cum alia, quando exprimit (totaliter vel partialiter) quod exprimitur in alia propositione, et nihil amplius exprimit. Ratio hujus assertionis, quæ ex terminis satis evidens est, patebit ex dicendis infra.

33. Puncta quæ difficultatem ingerunt præcipua

hæc sunt :—*Primo*, Si loco subjecti aut prædicati propositionis revelatæ ponatur illius definitio, an hæc secunda propositio sit revelata? *Secundo*, Si propositio clare deducatur ex duabus aliis propositionibus revelatis. *Tertio*, Si clare deducatur ex duabus aliis, quarum una est revelata, altera evidens ex ratione. *Quarto*, Si sit singularis propositio contenta sub universali. *Quinto*, Si sit propositio virtualiter contenta in propositione revelata.

34. Vix opus est monere 1°. quæstionem non esse de veritate harum propositionum, nec de obligatione illas credendi; hæc enim supponuntur. Sed 2°. quæstio est an sint stricte et rigore revelatæ; et 3°. an sit definitum ab Ecclesia, seu de fide Catholica, eas esse revelatas.

35. Quoad *Primam* Classem, sciz., cum loco subjecti aut prædicati ponatur illius definitio. Dico I. Ponatur definitio (si tamen definitio vocari possit), quæ nullam novam ideam exprimit quam non significant verba propositionis revelatæ, secundum genuinum et verum sen-

* Præter classes propositionum quæ supra recensentur aliæ sunt; quas tamen notare supervacaneum foret. Ex dicendis enim, a fortiori sequetur eas non esse revelatas, aut saltem hoc non esse certum aut etiam probabile, multo minus *de fide*. Insuper descriptio in classes supra data non tantum imperfecta est quoad numerum, sed etiam, ut infra videbitur, quoad adæquationem divisionum logicam: una enim divisio, vel in toto vel in parte, cum alia aliquando coincidit. Hoc autem ex eo partim oritur quod eadem res sub diverso aspectu consideretur, et partim ex eo quod diversi Theologi non eandem methodum sequantur, nec iisdem terminis in eodem sensu utantur. Ego autem hanc materiam latissimam hic quam brevissimo et vix adumbrando perstringens, non opus duxi ut in ea melius componenda et ordinanda diutius immorarer.

sum illorum verborum; tunc propositio in qua reponitur definitio est revelata. Hoc mihi manifestum videtur, et, quoad rem, a nemine negatum. Ratio autem est, quia veritas est definite eadem; sola mutatio fit in forma et numero verborum, quæ non magis afficit ipsam veritatem quam mutatio idiomatis. Sic, revelata propositione “ Spiritus Sanctus est Deus,” eo ipso revelatur propositio “ Spiritus Sanctus est ens infinite perfectum.” Sic etiam, revelata propositione “ Totus Christus est in Eucharistia,” revelatur propositio “ Corpus et sanguis una cum anima et divinitate Christi sunt vere realiter et substantialiter in Eucharistia.” Cum enim propositio secunda enunciatur, videmus illam non continere aliquam ideam quam non continet et exprimit prior propositio rite intellecta.

36. Dico IL Si aliquid introducatur quod non est contentum in verbis revelationis, juxta propriam significationem illorum verborum, i. e. ideas quas ex institutione loquelæ illa verba mentibus nostris ingerere debent; tunc saltem dubitari potest an propositio hujusmodi sit revelata. Ratio est, quia revelatum non est nisi quod dicit Deus: jamvero nullam veritatem dicit Deus nisi quam verba ab ipso usurpata, secundum eorum vim in genere signi, vere significant. Quod autem per modum expositionis, &c., introducitur, hoc non definite dixit Deus, sed tua est expositio; quæ, quantumvis vera sit, non est tamen dictum Dei.

37. Hinc in paraphrasibus S. Scripturæ multa esse possunt non revelata. Attamen, quoniam S. Scriptura sæpissime sensum valde profundum et implicatum habet, si Ecclesia hunc sensum, quantumvis paraphrastice et in varias distinctas propositiones disjectum, definiat, sine

dubio hujusmodi paraphrasis, declaratio, evolutio pro revelata habenda est. Ratio est, quia veritas, etsi revelata non fuerit ea forma explicata, sed forma magis pressa, fuit tamen vere revelata: et Ecclesiæ divinitus data est facultas et auctoritas revelationem obscuram et difficilem explicandi. Sic, doctus Theologus mentem suam de quæstionibus theologicis altioribus vere aperit, etsi eam capere non potest turba lectorum, sed tantum docti Theologi. Vide exempla apud *LUGO*, D. 1, n. 302; *SÜAREZ*, de *Mysteriis Vitæ Christi*, D. 3, Sect. 6; et *DE ANGELIS*, L. 1, C. 3, n. 13. Vide etiam *PERRONE*, in opusculo de *Immaculato Conceptu*, pars 2, cap. 1.

38. Difficultas est determinare de propositionibus singulis occurrentibus, an pertineant ad priorem an ad posteriorem classem (n. 35, 36). Sic, puto, dubitari non potest hanc propositionem, “Christus est animal rationale” esse revelatam in illo, “Christus est homo,” quæ propositio revelata est et *de fide Catholica*. Sed hæc omnia Ecclesia determinare potest, ego non possum.

39. Quoad *Secundam* Classem, sciz., ciun propositio clare deducitur ex duabus revelatis. Dico I. Si spectetur tabs propositio quatenus est conclusio per legitimum discursum illata, et si ob illam legitimam consequentiam credatur, non est, sub hoc conceptu, revelata, nec creditur fide divina. Ita omnes, et ratio patet.

40. Dico II. Si propositio spectetur ut contenta in præmissis; vel 1°. continetur ut effectus in causa seu proprietas in essentia, eo modo quo propositio “Christus est risibilis” continetur in propositione, “Christus est homo;” vel 2°. continetur ut pars in suo toto, eo modo quo propositio “Matthæus est infallibilis” continetur in

i

η

u.

V-

f 2

his duobus “ Omnes Apostoli sunt infallibiles” et “ Matthæus est Apostolus.” Si *Primum*, Hujusmodo propositiones non pertinent ad præsentem classem : vide infra, n. 44. Si *Secundum*, Mihi longe probabilius, imo omnino certum est talem propositionem esse revelatam. Ratio, quia qui dicit omnes Apostolos esse infallibiles et Matthæum esse Apostolum, clare et etiam expresse, etsi non totidem verbis (vide n. 25, 26, 35, 36), dicit Matthæum esse infallibilem. Duæ priores propositiones id significant quod in tertia alio modo exprimitur. Vide *Lugo*, qui D. 1, n. 279, 280, 282, pro hac parte solidissime argumentatur. Verumtamen hæc quaestio videtur esse libere disputabilis, eo saltem sensu quod eam Ecclesia adhuc non definierit.

41. Quoad *Tertiam* Classem, sciz., cum propositio deducitur ex præmissis, quarum una est revelata et altera evidens ex ratione. Dico I. Vide dicta n. 39, quæ hic urgent saltem a pari. Dico II. Si spectetur propositio ut contenta in præmissis, etiam ita ut præmissa non revelata tantum declarat id quod virtualiter (vid. infra, n. 44) continetur in præmissa revelata, prout loquitur *Vasquez*, probabilior et, ut puto, longe communior sententia docet hujusmodi propositionem non esse revelatam. Ratio est, quia non est eadem cum propositione revelata, et, ut credatur, non tantum requiritur scire veritatem quæ in revelata præmissa manifestatur, et quæ ob auctoritatem divinam creditur, sed etiam scire veritatem quæ in non revelata præmissa continetur, et quæ creditur, non propter divinam auc-

* Theologi non proponunt quaestionem, An propositio sit *revelata*, sed An sit *defide* : sed, quoad rem, in idem recidit.

toritatem, sed propter evidentiam rationis. Igitur propositio hæc non creditur propter auctoritatem divinam, sed propter hanc simul cum evidentia rationis. Conatur exemplum communiter a Theologis allatum :—Omnis homo est risibilis ; Christus est homo ; ergo Christus est risibilis. Omnem hominem esse risibilem non dicitur a Deo, sed a ratione cognoscitur. Ergo non est revelatum Christum esse risibilem in eo quod revelatur Christum esse hominem.

42. Contra hoc ultimum objici potest. Dictum est n. 38, hanc propositionem “Christus est animal rationale” esse revelatam in ea “Christus est homo;” quia vox *homo* ingerit, vi vocis in ratione signi, ideam animalis rationalis. Sed æque explicite ingerit ideam risibilitatis. Resp. Nego minorem. Si tamen minor esset vera, tantum sequeretur hoc exemplum non esse exemplum aptum: de quo judicent qui in hac materia peritiores sunt. Sed quicquid sit de his, extra dubium est hanc quæstionem esse libere disputabilem, An conclusio ex præmissis, quarum una tantum est revelata, sit ipsa revelata.

43. Quoad *Qiiartam*, Classem, sciz. cum propositio singularis continetur in universali : ut in propositione universali “Deus vult omnes homines salvari” continentur propositiones “Deus vult Petrum, vult Paulum, &c. salvari.” Sic etiam, in propositione universali “Omnis Pontifex Romanus,” aut “Omnis Successor B. Petri habet Primatum totius Ecclesiæ jure divino,” continentur propositiones singulares “Gregorius XVI. habet, Ac.” “Pius IX. habet, &c.” Quod autem Gregorius XVI. fuerit, et Pius IX. sit vere Romanus Pontifex, est infallibiliter certum ex testimonio Ecclesiæ, ut suo loco.de-

monstrabitur ; sicut certum est physica certitudine Petrum, Paulum, &c., esse homines.

Nimis longum esset hanc quæstionem excutere. Vari® sunt opiniones quæ videri possunt apud Montagne, p. 478, &c. ; Lugo dicit (D. 1, n. 298) communem esse sententiam affirmantem hujusmodi propositiones esse revelatas. Verumtamen hæc sententia non videtur esse absolute certa, et certe non est definita ab Ecclesia.

44. Quoad *Quintam* Classem, sciz., cum propositio virtualiter continetur in propositione revelata. Hoc autem diverso sensu a diversis theologis intelligitur. Quidam dicunt illud in alio contineri virtualiter quod in hoc continetur ut in radice v. g. ut effectus in causa, proprietas in essentia (n. 40). Alii dicunt unum in alio contineri virtualiter, cum posterius non potest vere esse quin prius vere sit ; seu, cum ille qui negat prius censeatur negare posterius. Hæc omnia, quoad rem, in idem conveniunt ; et, quoad rem, hæc propositionum classis cum tertia classe confundi potest (n. 41), et idem de utraque dicendum videtur.

45. Non autem probo exemplum illius virtualiter contenti a quibusdam allatum, qui dicunt in propositione illa revelata “Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via, et . . . blandimento suæ caudæ gaudebat” (Tobiæ xi. 9), propositionem hanc “Canis ille habebat caudam” non formaliter sed virtualiter esse contentam et revelatam. Mihi clarum esse videtur hanc propositionem esse formaliter et expresse etsi, ut aiunt, in obliquo revelatam. Qui enim dicit canem blandimento caudæ suæ gaudere, dicit canem habere caudam : et hoc ipsa verba expresse significant. Sic, dicendo me jam

manu stilum tenere, dico me habere et manum et stilum.

Sed in immensum crescerent hæ notiones præviæ, si altius in hæc descenderem. Consul. Montagne, loc. cit. ; Lugo, D. 1, S. 13 ; Suarez, D. 3, S. 11 ; Viva, D. 2, n. 2 (qui. n. 5, male pro se citat Lugonem et Suabezum); Kilber, P. 1, A. 1, C. 2, 3; Amort, D. 1, Q. 2, &c. &c.

4G. De tota hac materia sequentia noto. *Primo.* De quæstionibus istis generalibus (n. 33), nulla existit Ecclesia) definitio, vel diserte vel in manifesta fide Ecclesiæ. Quod patet non tantum ex eo quod quidam dubitent an istæ propositiones sint revelatæ, sed etiam ex eo quod (ut mihi videtur) Theologi qui affirmant eas, aut quasdam ex iis, esse revelatas, hanc sententiam non tenent ut definitam, et sententiam negantem, etsi eam ut penitus falsam rejiciant, non damnant ut oppositam fidei Ecclesiæ.

47. *Secundo.* Ecclesia (quod suo loco ostendetur) potest aliquam ex prædictis propositionibus ut simpliciter credendam definire, v. g. conclusionem ex duabus præmissis quarum una non est revelata. Vide infra, n. 51.

48. *Tertio.* Non tamen sequitur, ex eo quod Ecclesia talem propositionem definiat, illam evadere revelatam et de fide. De hoc disputatur inter Theologos : sententia negans propositionem fieri de fide mihi probabilior videtur : vid. Montagne, p. 487.

49. *Quarto.* Assensus datus hujusmodi conclusionibus sic definitis ex ipsa fidei gratia et habitu procedere potest, et esse non tantum ex principio sed ex motivo supernatural!, pariter ac ipse assensus fidei.

Et ratio est, quia (ut bene notat LUGO, D. 20, n. 134) virtus fidei et reverentia et cultus divinæ veracitati debitus requirit ut non solum immediate revelata amplectamur sed etiam “aliquid aliud, quod oportet firmum esse, ne ipsa fides vacillet et ea rejiciamus quæ non solum immediate sed etiam ea quæ mediate fidem lædunt

50. *Quinto.* Etiam si Ecclesia definiret aliquam particularem propositionem, quæ apud Theologos communiter habetur tanquam conclusio theologica v. g. ex duabus quarum una tantum est revelata, ut rigore de fide tenendam, et errorem oppositum ut hæreticalem damnaret; adhuc non sequeretur definitam esse generalem quæstionem v. g. omnem conclusionem ex duabus, quarum una tantum est revelata, esse revelatam. Forsan enim illa propositio, quam ante definitionem habuerant Theologi pro mera conclusione, re maturius examinata, inventa fuerit plane in verbo Dei revelata. Propositio quæ ex hoc vel illo textu S. Scripturæ ut conclusio per discursum infertur, in alio textu aut in Traditione immediate et formaliter revelari potest.

51. *Sexto.* Non videtur necessarium ut Ecclesia definiat generalem quæstionem. Sufficit enim quod, subito errore circa aliquod dogma particulare, Ec-

* Hinc non probo exemplum allatum a CHARMES (De Ecclesia, D. 3, C. 2, *Quar.* 2), qui dicit hanc propositionem, “Christus non habet humanam voluntatem,” damnatam esse ut hæreticam, utpote sequentem (debit dicere, cujus contradictoria sequitur) ex duabus, quarum una est revelata, “Christus est homo,” et altera evidenter vera, “Omnis homo habet humanam voluntatem.” Sequitur equidem propositio definita de fide, sciz., “Christus habet humanam voluntatem” ex istis duabus. Sed nullomodo constat eam esse definitam de fide

clesia, illum errorem damnando, veritatem definiat ab omnibus firmissime tenendam. Ecclesiam enim infallibilem esse, et ejus censuram firmo assensu interno esse acceptandam, in erroribus proscribendis, sive hi sint directe contra fidem revelatam sive tantum indirecte et remote, dogma Catholicum est postea suo quoque loco probandum.

Sectio Quarta,—DE OBJECTO FIDEI: UTRUM DECURSU TEMPORIS AUGEATUR.

52. Duplici modo concipi potest articulus fidei crescere, *simpliciter* et *secundum quid*. Crescunt simpliciter cum nova aliqua veritas a Deo revelatur. Crescunt secundum quid triplici modo. *Primo*, cum revelatio obscura redditur clara et distincta per interpretationem. Adde supra n. 37, et exempla apud Auctores ibi citatos. *Secundo*, cum revelatio generalibus verbis concepta evolvitur et applicatur. Sic revelatur Successores B. Petri, in ipso Petro, constitutos esse a Christo totius Ecclesiæ petram seu firmamentum, quo una et undique et in omnibus indefectibilis in æternum conservaretur; et præditos esse potestate quodcumque ubicunque solvendi aut ligandi; et Apostolorum successores et omnes fideles et universam Ecclesiam contra quasvis impugnationes

utpote sic sequentem: imo longe probabilius et nobis certum esse videtur oppositum, sciz., eam fuisse definitam de fide utpote in se revelatam. Etenim 1°. revelando Christum esse verum et integrum hominem eo ipso revelatur eum habere humanam voluntatem (n. 35). Sed seposita ista responsione, dico 2°. diserte et clare in se revelatum esse etiam in verbo Dei scripto, Christum habere voluntatem humanam, prout omnes Theologi ostendunt disputantes contra Monothelitas. Vide Tractatum de Incarnatione.

b"

τη*

diabolicas confirmandi, securosque conservandi, &c. &c. Deinde occurrentibus casibus, evolvendo hanc revelationem, definitur illos habere tale et tale munus aut speciem jurisdictionis v. g. leges universales ferendi, definiendi dogmata fidei, &c. &c., et hæc immediate a Deo et plena mensura habere, et non quasi dependenter a quadam delegatione aut acceptatione aut approbatione aliorum particularium pastorum Ecclesiæ, &c. &c. *Tertio*, cum proponitur revelatio sub hoc vel illo conceptu, ad occurrendum huic vel illi errori. Sic, in definitione præsentia Christi in Eucharistia a Cone. Trident., ponuntur verba “vere realiter et substantialiter” ad occurrendum erroribus variis novatorum Protestantorum : vid. *Bellarmin.* de Euchar. Sacram. L. 1, C. 1 et 2.

53. Explicatis istis duobus modis incrementi articulorum fidei, manet inquirendum an de facto alterutro aut utroque modo, isti articuli creverint. Quaestio esse potest, *primo*, de augmento ab Adam usque ad Christum et Apostolos inclusive ; *secundo*, a tempore Apostolorum usque ad finem mundi.

Primo. De incremento ab Adam usque ad Christum et Apostolos inclusive. Multa circa hoc punctum disputata tantum de nomine sunt, ut recte ait *Dens*, n. 23. Qui defendunt articulos non crevisse quoad substantiam seu simpliciter, sæpe confundunt fidem implicitam cum revelatione implicita. Sunt autem hæc duo valde diversa. Hæc vero dicenda videntur :—I. Creverunt articuli saltem secundum quid. II. Fides in articulos duos principales (Hebr. xi. 6) non crevit simpliciter : seu, aliis verbis, hi duo articuli ab initio mundi formaliter revelati sunt, et a fidelibus explicite crediti. III. De revelatione dogmatum Trinitatis et

Incarnationis vide Tractatus de his mysteriis. IV. Quoad alios articulos dicendum est eos simpliciter crevisse. Planum est enim articulos simpliciter crevisse cum novæ sint factæ revelationes articulorum antea non revelatorum. Atqui 1°. novæ factæ sunt revelationes, sciz., Patriarchis et a Christo. 2°. Ex articulis per has revelationes manifestatis quidam certe non erant antea revelati v. g. dogmata de septem sacramentis, de reali præsentia, &c.

54. Nec contra hanc ultimam assertionem dicatur hos et alios similes articulos contineri in articulo de Divina Providentia. Nam hæc veritas “Deus providebit mediis sufficientibus saluti hominum” nullomodo continet hanc “Deus providebit saluti hominum instituendo septem sacramenta, &c.”

55. *Secundo.* De incremento a tempore Apostolorum exclusive. De hoc *Dico* I. Articuli creverunt secundum quid triplici modo supra enumerato, n. 52. Quibus addi possunt aliæ duæ species incrementi, non quidem dogmatum revelatorum et *defide*, sed 1°. conclusionum ex illis certarum, quas vel expresse proponit Ecclesia, vel clara ratione evolverunt Theologi ; 2°. Factorum Dogmaticorum, de quibus infra in Disputationibus de Ecclesia.

56. *Dico* II. Non creverunt simpliciter. Ita omnes probati auctores. Probatur, *primo*, ex Sac. Script. “Omnia quæcunque audivi a Patre meo nota feci vobis Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem : non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur.” Joan. xv. 15, xvi. 13. Vide alios textus ap. *Bannes*, Q. 1, A. 7 (pag. 37), *Prima Conclus.* Probatur, *secundo*, ex Cone. Trident.

3

Sess. 4, in decreto de Canonicis Scripturis, prope initium ; et Sess. 6, Proem, ubi docet doctrinam Catholicam contineri in Sacra Scriptura et Traditionibus. Plura videas ap. Bannes, l. c. ; Suarez, D. 2, S. 6 ; Lugo, D. 3, S. 5, et D. 20, n. 9 ; Kilber, n. 111 ; Antoine, S. 1, A. 5 ; Reiffenstuel, Jus Canon. Proem, n. 68 ; Amort, D. 1, Q. 7.

57. An dici potest fidem obscuriorem esse quibusdam sæculis quam aliis ? An dici potest aliquod dogma posse penitus deperdi, aut etiam per aliquod tempus in Ecclesia ignorari ? An dici potest Ecclesiam posse definire de fide quod ante non tenebatur de fide in quavis parte Ecclesiæ ? Ilæc et similia infra in Disputatione de Infallibilitate Ecclesiæ, tanquam in propria sede, excutientur.

Sectio Quinta.—DE CERTITUDINE FIDEI: DE CERTITUDINE OBJECTIVA.

58. Jam dictum est (n. 22) quod, ut aliquid sit de fide, requiratur ut sit non tantum revelatum sed certo revelatum. Certitudo autem duplex est, objectiva et subjectiva. Certitudo objectiva alicujus propositionis est ipsa ejus veritas. De hac certitudine hæc dicenda sunt.

59. *Primo.* Deus non potest falsum revelare. Hoc enim auctoritati ejus infinitæ repugnaret.

60. *Secundo.* Sola difficultas hic solvenda est, An fidei possit subesse falsum ? i. e. An possit aliquis fide divina credere id quod, etsi ipsi revelatum esse videatur, revelatum tamen non est : v. g. idiota cui dogmata proponuntur a paroco ut de fide, quorum aliquod nec revelatum est nec verum ? De hoc hæc dicenda videntur.

61. I. Fides hujus rustici in articulum falsum, esto

non sit divina, proprie tamen non potest vocari humana, ut quidam illam vocant. Fides enim humana est oh auctoritatem humanam, qualis certe hæc fides non est. Debet ergo vocari fides putative aut apparenter divina, aut alio nomine.

62. II. Fides hæc, quatenus a nobis discerni potest, non differt a fide divina in verum articulum. Experientia enim constat nullum discrimen percipi posse, sive in firmitate sive in aliqua alia qualitate discernibili illius assensus falsi ab assensu vero. Assensus idem, quatenus nobis apparet, datur articulo vero et falso. Lugo, D. 4, n. 91.

63. III. Assensus ille falsus potest esse ex pia affectione, supernaturalis et meritorius. Lugo, ibid; Haunold, n. 229 ; Viva, Dam. Thes. Prop. 4, Innocent. XI. η. 10.

64. IV. Omnino tamen certa et certissima doctrina est (Suarez, D. 3, S. 13, η. 1 ; Lugo, n. 79 ; Malderus, Q. 1, A. 3, D. 2, pag. 11), hanc fidem non esse divinam, nec ex habitu fidei elicitam, qui habitus a Deo restringitur ad producendum tantum assensum verum. Probat ex Cone. Trident. (Sess. 6, cap. 9) affirmante quod “fidei . . . non potest subesse falsum.” Argumenta ex S. Scriptura vid. apud Auctores citatos. Argumenta quæ ex ratione proferunt mihi videntur non esse omnino firma ad probandum.

Sectio Sexta.—DE CERTITUDINE FIDEI: DE CERTITUDINE SUBJECTIVA.

65. Certitudo subjectiva est firma mentis adhaesio objecto proposito, ob motivum excludens omnem prudentem formidinem erroris, et ut sic apprehensum.

I. Debet esse firma mentis adhæsiō. Nam adhæ-

sio formidolosa, subdubitans, haesitans, est opinio aut dubium aut aliquid aliud, sed non certitudo ; neque sic assentiens diceretur esse certus seu habere certitudinem. II. Debet esse ob motivum excludens omnem prudentem formidinem erroris. Assensus ob motivum non excludens istam formidinem, etsi firmus, esset irrationabiliter firmus : et sic credens, quantumvis tenaciter, non esset certus. III. Motivum assensus debet apprehendi ut sufficienter firmum ad excludendam omnem formidinem erroris prudentem. Si aliquis assentiret ob motivum revera et in se sufficiens ad talem formidinem excludendam, quod tamen non apprehenditur nisi ut debile, assensus ejus, quantumvis firmus, non esset rationabilis. Non tamen requiritur, in actu assentiendi, formalis reflexio in hanc tertiam conditionem.

66. I. Concipi potest assensus firmus absque motivo sufficienti, aut apprehenso ut sufficienti : et hic esset mera obstinatio seu pertinacia. II. Concipi potest quod aliquis propositiones falsas et veras commixtas eodem assensu credat, ob motivum excludens omnem prudentem formidinem errandi hic et nunc ; v. g. rusticus eodem assensu credens vera et falsa a Parocho simul proposita. Hic assensus, quoad falsa dogmata, mihi videtur esse certitudo *subjectiva*, sed *mere* *subjectiva* est. Sed de casu rustici hujus longus redibit sermo ubi de Infallibili Magisterio Ecclesiae. Vid. Lugo, D. 6, S. 1 ; Suarez, de Gratia, L. 9, C. 9, n. 2 ; Bellarmin, de Justif., L. 4, C. 2.

* “ Solet evidens credibilitas separari a veritate objecti, ut patet in fide humana ; prudenter enim solemus credere quæ in se sunt falsa.”

Salmasius, D. 3, n. 3.

NOTIONES PRÆVIÆ DE FIDE.

67. Multi Protestantes tenent (ut puto, inter illos communissima est sententia) certitudinem illam seu assensum firmum non requiri ad fidem, sed cum ea bene posse consistere dubium ne non sit revelatum id quod creditur. Ita non solum doctores Protestantici latitudinarii, aut qui pertinent ad Ecclesiam Constitutam bassam seu inferiorem aut ad ecclesiam latam seu laxam, quod mirum non est,- sed etiam doctores Ecclesiæ excelsioris seu, ut a quibusdam vocantur, Oxonienses, Tractarii, Puseyitæ. Ita praeclarus vir, D. Newman, in opere edito antequam oculi ejus vidissent salutare Domini. Ita etiam alii ejusdem sectæ qui adhuc in tenebris et in umbra mortis sedent.^f Contra hunc errorem, quicquid olim dixerint quidam auctores quoad hoc reprobati, hodie omnino tenendum est assensum fidei esse debere certum, et assensum qui non est firmus non esse assensum fidei.

68. Probat hęc doctrina breviter. *Primo.* Assensus fidei ubique in S. Scriptura exhibetur ut certissimus. “Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur :” Tobiaë iii. 21. “Modicae fidei, quare dubitasti Matth. xiv. 31. “Si habueritis fidem et non haesitaveritis Matth. xxi. 22. “Noli timere, tantummodo crede Mare, v. 36. “Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit:” Mare. xvi. 16. “O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetae Luc. xxiv. 25. “Crediderunt Scripturae et sermoni quem dixit Jesus:”

* “Prælectiōes de Prophetico munere Ecclesiæ,” pp. 106 et 131.
t Vido Goode, “Regula Eidei Divina,” vol. i., p. 76 (cap. 2), vol. iii. p. 544 (cap. 12).

Joan. ii. 22. “Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia *et* Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum :” Act. ii. 36. “Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, Si credis ex toto corde, licet Act. viii. 36. “Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem:” 1 Timoth. i. 12. “Postulet autem in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur:” Jacob, i. 6. In his textibus, sicut et in omnibus textibus (his enim multi addi possent,) ubi mentio est de fide vera et Deo accepta, I. Verba *fides, credo, scio*, et quæcunque alia ad actum fidei significandum usurpantur, ea sunt quæ, sensu vero et proprio, non opinionem, non assensum dubium et hæsitantem, sed assensum firmum denotant, et assensûs firmi solius menti ideam ingerunt. Et II. nihil occurrit in contextibus quod significationem istam impropriam et alienam vel minimum insinuaret. E contrario III. non solum quædam in multis textibus adduntur quæ, variis modis, firmitatem assensus diserte et explicite, et quasi ad assensum verum et Deo acceptum necessariam, exprimunt; ut vocabula *pro certo; certissime,- ex toto corde; certus sum* (Tob. iii.; Act. ii. viii.; 1. Timoth. i). Sed et IV. alia adduntur, in multis textibus, quæ, æque diserte et explicite, quodvis dubium et hæsitationem, tanquam veræ fidei absolute repugnantem et ei prorsus insociabilem et Deo non acceptam, exhibent; qualia sunt *Modicæ fidei, quare dubitasti; si non hæsitaveritis; noli timere; O stulti et tardi corde; nihil hæsitans, qui enim hæsitat, &c.* Matth. xiv. xxi.; Marc, v.; Luc. xxiv.; Jacob, i.

G9. Probatur *Secundo*. Motiva credibilitatis talia sunt

ut clare testificentur locutionem Dei. Hoc alibi probatur I. ex investigatione illorum motivorum in particulari. Probatur II. ex testimonio Scripturæ expresso. “ Testimonia tua credibilia facta sunt nimis Psalm.

* Horum breve summarium habetur apud Gonet, J). 1, in fine, Valentiam, D. 1, S. 1, P. 4, et alios innumeros. “Sed quam multa, quam mira, quam splendida præsto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem, et *omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex coelorum Domino accepisse* (S. Joann. Chrysost., Homil. 1, inlsai.), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius extare, et quod firmioribus innitatur principiis. Hæc scilicet fides, vitæ magistra, salutis index, vitiorum omnium expidtrix, ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernæ doctrinæ luce undique refulgens, ac coelestium divitiarum ditata thesauris, tot Prophetarum prædicationibus, tot miraculorum splendore, tot Martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis salutes proferens Christi leges, ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, univorsum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Cnicis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatque cujusvis generis hostibus omnes populos, gentes, nationes, utcumque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas divinæ cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quæ certe omnia tanto divinæ sapientiae, ac potentiæ fulgore undique collucet, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat Christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce, æque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum ejusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta, atque remota, omne eidem fidei obsequium præbeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum, et agendum proponit.” Hæc Sanctissimus Dominus noster, Pius IX., in Encylica, *Qui pluribus*. (Acta Pii IX. p. 8).

xcii. 5. “ Si non venissem et locutus fuisset iis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo Joann, xv. 22. “ Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus,” &c. : Hebr. ii. 3.

Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est 1 Joann, v. 9. Atqui Deo tam manifesto nobis loquenti non credere assensu firmo gravissima esset irreverentia, nec alius assensus posset esse illi acceptabilis.

70. Tabes est natura fidei in præsentis ordine, quod Deus non acceptet assensum, ut assensum fidei, nisi qui firmus et certus est. Sed quæri potest an hoc sit ex ipsa fidei essentia intrinseca, adeo ut Deus non posset aliter ordinare? Resp. I. Si veritas reveletur (prout de facto jam revelatur), cum motivis credibilitatis evidentibus, tunc Deus non potest acceptare ab eo cui motiva ista sufficienter proponuntur, nisi fidem quæ est assensus firmus; ut patet. II. An vero in alio ordine, in quo motiva credibilitatis non essent certa, esse posset fides? Mihi videretur omnino negandum. Ad fidem supernaturalem et proprie dictam videtur absolute requiri revelatio certa et assensus firmus. Fides vero quæ haberetur ex revelatione incerta, etiam probabilius certa, esset tantum fides quædam imperfecta. Sed nobis scire sufficiat quod, sub præsentis decreto, ad fidem non sufficit ista dubia revelatio aut assensus dubius.

71. Sequitur ex n. 67, &c. merito damnatam esse propositionem 21 Innocent. XI. sciz., “Assensus fidei

supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imino cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus." Ex hujus propositionis censura sequitur 1°. Ad fidem supernaturalem et salutarem non sufficere probabilem revelationem, et ergo requiri certam ; et 2°. Non sufficere assensum dubium, sed requiri firmum. Sed hic quæri potest, quomodo concilietur damnatio hujus propositionis cum damnatione *quartæ* propositionis ejusdem Innocent. XI. sciz., " Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili ?" Videretur enim ex hujus damnatione sequi infidelem teneri fidem veram, cum ipsi ut probabilior apparuerit, amplecti. Ex damnat. vero prop. 21, non potest credere nisi certus sit de revelatione. Quod autem probabilius est non certum est, sed intra limites probabilitatis manet. Quomodo ergo teneri potest fidem veram, quæ ipsi tantum probabilior est, amplecti ? Resp. breviter : Infidelis in casu dato gravem habet rationem suspicandi sectam suam esse falsam. Tenetur ergo, in re tanti momenti, ulterius inquirere, lumen divinum ad verum inveniendum implorare, et, uno verbo, quod in se est, auxiliante gratia, facere ut illud inveniatur. Si hæc vere et sincere præstiterit, Deus illi elargietur gratiam fidei * si vero non præstiterit, in hoc peccat, et ideo non excusabitur ab infidelitate. Interea vero quamdiu vera fides ipsi tantum ut probabilior videtur, illam firmiter credere

* " Neque enim abbreviata est manus Domini, gratiæque coelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent."—Allocut. Summi Pontif. habita die 9. Decembr. 1854 (Acta Pii IX., p. 627).

nec tenetur nec potest : Cardenas, D. 5, C. 2, &c. ; Croix, n. 48 ; Guttierrez, D. 5, n. 20, 22 ; Layman, C. 13, n. 5.

72. Debet ergo assensus fidei esse absolute firmus. Sed quoad firmitatem relativam, duo inquirei possunt : Primo, An assensus fidei quocunque alio assensu firmior esse possit ? Secundo, an firmior esse debeat ?

73. Quæstio Prima : An assensus fidei quocunque alio assensu firmior esse *possit* ?

Resp. *Primo*. Hæc sunt in fide specialia quæ illi majorem firmitatem et adhæsiorem impertiuntur :—I. Gratia, quæ lumen supernaturale intellectui dat et robur supernaturale voluntati. II. Objectum creditum. Nam veritas revelata, maxime objectum primum, quod est ipse Deus (n. 23), in se est infinite magis appetibilis quacunque alia veritate, et magis attrahens et firmans omnem nostram adhæsiorem. Quid enim mihi cum veritatibus naturalibus, v. g. matheseos, &c., comparate ad veritates revelatas ? III. Motivum fidei, sciz., auctoritas Dei, quæ ante omne aliud motivum, quantumvis in se certum, considerari debet. IV. Bonitas Dei et in se et erga nos. Sicut enim filius bonus boni patris verbum sive præcipientis sive testificantis multo majoris facit, eique multo firmiter et amantius adhæret, quam verbo extranei etiam æque fide digni ; quanto magis ad firmiter et amantius verbo Dei minimo assentiendum, super quamvis aliam auctoritatem aut evidentiam, inclinari debemus ?—Dei qui unus bonus est, qui vocavit nos in hæreditatem et admirabile lumen suum, et infiniti sui amoris tot tantaque signa quotidie nobis exhibet. “En dilectus meus loquitur mihi Anima mea liquefacta est ut locutus est Cantic. ii. 10, v. 6.

Diximus “magis appretiabitur:” non enim loquimur de *intensitate* adhaesionis. Rationem vide apud Auctores ubi tractant de intensitate requisita ad eharitatem aut contritionem.

74. *Secundo*. Damnatur propositio (19 Innocent. XL) quæ asserit quod “Voluntas non potest efficere ut assensus fidei per se sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.” Rationes de quibus loquitur hæc propositio, sunt motiva credibilitatis extrinseca, quæ sunt vel absoluta vel respectiva (ut exponetur ubi de Magisterio Ecclesiæ). Hæc motiva ostendunt honestam et obligatoriam esse fidem, et impellunt ad iudicium de hac honestate et obligatione, non tamen, sive sint absoluta sive respectiva, maxime si sint respectiva tantum, merentur eandem firmitatem assensus, quam meretur motivum intrinsecum ipsius fidei, quod est auctoritas Dei. Hæc enim rationes non sunt (præter alia) metaphysice certæ, imo motiva credibilitatis respectiva non sunt infallibilia. Unde auctor hujus propositionis aliam ab ea infert (20 Innocent. XL), sciz., “Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.” Ex hac expositione (quam ex *Ilisung*, T. 3, A. 1, § 2, contraximus), et ex dictis n. 73, patet voluntatem efficere posse ut assensus fidei sit firmior quam mereantur motiva credibilitatis.

75. *Tertio*. Non est quæstio de relativa *veritate* propositionis revelatæ: non est enim majus aut minus in veritate. Equidem propositio versari potest in materia contingenti vel in materia necessaria: sed, in quacunque materia versetur, est vel vera vel falsa.

76. *Quarto*. Absoluta firmitas assensus consistit in absoluta firma adhaesione. Relativa autem, præter fir-

main adhaesionem veritati revelatæ, requirit ut homo sit ita paratus, quod si eligendum esset inter abjurationem assensus fidei et abjurationem assensus cujusvis naturalis. secundam abjurationem eligeret. Excessus certitudinis fidei consistit in firmitate assensus, connotando quatur enumerata n. 73.

77. *Quinto.* Quoad veritates etiam evidentes, sed non ea evidentia clara et intuitiva cui intellectus non potest, ex quocunque imperio voluntatis, resistere, certe potest assensus fidei esse firmior assensu hujusmodi veritatibus. Etiam quoad veritates clare evidentes assensus potest esse firmior. Bene enim potest homo non tantum firmiori adhæsione veritati revelatæ assentire, sed etiam illam comparisonem instituere quod si, per impossibile, eligendum esset inter utrumque assensum, paratus esset rejicere assensum naturalem veritatibus naturalibus. Sed vide infra n. 81.

78. *Sexto.* Potest quis firmius assentiri eidem veritati, v. g. existentiae Dei, ut notæ per revelationem quam ut notæ per rationem: hoc enim est tantum revelationem ratiocinio et demonstrationi anteponere. Non autem potest aliquis firmius revelatum credere eo sensu quod paratus sit ipsam veritatem naturaliter cognitam rejicere. Hoc enim esset manifesto absurdum.

79. *Septimo.* Damnata propositione quæ affirmat voluntatem non posse efficere ut assensus fidei sit firmior quam mereantur motiva credibilitatis, non ideo videtur damnari assertio quod voluntas nequit efficere ut assensus fidei sit firmior quam mereatur quodcunque aliud motivum alterius assensus, v. g. veritatibus evidentibus evidentia metaphysica clara. Sed oppositum.

etsi non definitum, nobis videtur omnino verum sensu exposito n. 77.

De his omnibus vid. Suarez, D. 6, S. 5; Lugo, I. 6; Salmant. D. 2, n. 105, &c.; Kilber, P. 2, C. 2, A. 2; Antoine, S. 3, A. 1; Viva, D. 3, Q. 6; Kick, n. 745.

80. *Quæstio Secunda:* An assensus fidei quocunque alio assensu firmior esse *debeat*?

Resp. Hæc breviter existimamus dicenda. *Primo.* Firmitas assensus fidei requirit quod nullus alius assensus in eodem fidei sit illo firmior. Dixi "in eodem fidei" non enim requiritur quod Petrus firmius assentiatur objecto fidei quam Joannes assentitur aliis veritatibus: Lugo, D. 6, n. 45.

81. *Secundo.* Fideles non videntur teneri explicite hujusmodi comparisonem appretiativam instituere (de qua n. 76), inter veritates fidei et alias veritates. Sufficit quod firmissime credant, et ita sint vere dispositi quod, in nullo possibili casu, ad quodcunque malum evitandum aut quodcunque bonum assequendum, fidem interius aut exterius negarent. Objectum enim illius comparisonis est impossibile. Veritati supernaturali non potest opponi veritas naturalis, alioquin hæc non esset veritas. Absolute impossibilis est casus in quo aliquis teneretur eligere inter amplectendam aut ejuandam veritatem revelatam et naturalem: etsi bene dari potest casus, et sæpe datur, in quo aliquis tenetur deserere opinionem, veritatem putatam, &c., sciz., quando invenerit eam esse definitioni Ecclesiæ oppositam; hoc ipso enim ista opinio falsitatis arguitur. Vide, de simili comparatione in actu contritionis, Croix, de Pœnit. n. 731, &c.; S. Alphons. de Pœnit., 433, 7. In præsenti materia de comparatione veritatum fidei cum veri-

tatibus clare evidentibus, scribit Lugo, n. 53 :—“ Hoc esset chimericum, nec a fidelibus exigitur talis praelatio, aut promptitudo, ut si tali genere evidentiae constaret contrarium illius, quod per Ecclesiam proponitur, adhuc contra talem evidentiam retinerent Ecclesiae doctrinam : esset enim stulta et chimera promptitudo. Neque ex hoc sequitur, vel arguitur, quod fideles non credant res fidei super omnia : sicut enim justus diligit Deum per charitatem super omnia simpliciter et absolute; et tamen non est promptus ad habendum odium Dei, vel mentendum, si per impossibile id Deo placeret : ille enim est casus chimericus, et non comprehenditur sub universalitate dilectionis Dei super omnia. Sic etiam chimericum est proponi per fidem id quod omnimoda claritate et undequaque constet esse falsum,” &c.

82. *Tertio.* Simpliciter tenendum est assensum fidei esse debere firmiorem quovis alio assensu naturali, propter majorem adhæsiōnem quam quatuor supra memorata (n. 73) producere nata sunt. An vero sit vera et proprie dicta fides, etsi imbecillior et imperfecta, quæ auctario hoc firmitatis assensus caret, definire non possum. Mihi videretur affirmandum, modo assensus sit vere firmus et non adsit comparatio.

Sectio Seflma.-DE FIDEI OBSCURITATE ET CREDIBILITATE.

83. Plura sunt in hac materia de Obscuritate fidei, quæ non tantum tractatu perjucunda forent iis qui scholasticis disputationibus assueti sunt et in illis delectantur, sed succincte et clare exposita (si tamen utrumque simul attingi posset), et aliis haud parum forsitan utilitatis afferrent. Hæc vero, memores propositi nostri (Præfatio), quamvis ægre, prætermittamus necesse est.

84. Obscurum opponitur evidenti. Evidens id autem hic dicitur quod est objectum scientiæ, seu quod notum est ex evidentia intrinseca, sive hæc mediata sit sive immediata (n. 5) : Salmant. D. 3, Dub. 2, Proem. Loquimur hic de vere evidenti. Id igitur obscurum est quod non est hoc modo evidens ; et duplex est, obscurum simpliciter, et obscurum secundum quid. Prius est in iis veritatibus quæ ex sola auctoritate credi possunt v. g. mysterium Trinitatis : secundum est in iis quæ, etsi hic et nunc credantur ob auctoritatem, tamen demonstrari possunt ex ratione et propter scientiam credi, v. g. existentia Dei.

85. *Primo.* Objectum fidei, ut sic, semper est ex natura sua et essentialiter obscurum. Ita omnes. Ratio est ex ipsa natura fidei, qui est assensus, non propter motiva intrinseca, sed propter auctoritatem. Si assensus detur ob evidentiam, non jam assensus fidei est sed scientiæ (n. 5, &c.).

86. *Secundo.* Quæritur utrum eadem veritas possit esse in eodem homine (non enim quæstio esse potest de diversis hominibus), simul objectum fidei et scientiæ ? Duplex esse potest sensus quæstionis. I. Utrum possit aliquis duobus distinctis actibus elicere actum fidei et actum scientiæ circa eandem veritatem v. g. existentiam Dei—Seu, utrum ille, cui evidens est ex ratione Deum existere, quique ideo gaudet *habitu* scientiæ circa illam veritatem, possit et actu fidei divinæ eam credere ? II. Posita responsione ad hanc quæstionem affirmativa, utrum possit unus idemque indivisibilis actus esse et fidei divinæ et scientiæ ? Negative ad utrumque, maxime ad secundam quæstionem, respondent communissime Thomistæ, prout ubique testantur auctores. Ita

quidam, si non communius, Scotistw, ut Henno, D. 1, Q. 4, A. 3, Cone. 1; Krisper (quoad secundam quaestionem), T. 4, D. 8, Q. 3, n. 5, 7; Mastrius, D. 6, n. 119, qui dicit hanc esse communem Thomistarum et Scotistarum. Communissima, ut puto, inter recentiores, saltem extra illas scholas, est responsio affirmativa ad primam quaestionem. Quoad secundam vero an ita communis sit non possum affirmare. Vide rationes, ex utraque parte, apud Salmant. D. 3; Suarez, D. 3, S. 9; Lugo, D. 2; Gonet. D. 1, n. 146, &c.; Viva (qui varias propositiones clare ordinat), D. 3, Q. 3, A. 1; Kilber, n. 211, &c. &c.

87. Hæc de obscuritate ipsius objecti fidei. Nunc autem de obscuritate vel evidentia ipsius revelationis, seu, quod idem sonat, de obscuritate vel evidentia in attestante, quædam inquirenda sunt. Sed prius operæ pretium erit breviter recensere cognitiones et actus qui præcedunt ipsum actum fidei. Post (1) propositionem ipsius veritatis cum motivis credibilitatis, et utraque (sciz., veritatem et ista motiva) percepta et intellecta; (2) considerantur et examinantur motiva credibilitatis, quantum necesse est ut eorum vis percipiatur. Quo facto, (3) efformatur iudicium de credibilitate et de obligatione credendi. Deinde (4) efficitur imperium voluntatis determinantis intellectum ad eliciendum actum fidei; ex quo imperio (5) actus fidei elicitur: Antoine, S. 3, A. 3, Q. 6; Kilber, n. 168; Habert, C. 2, § 1, Q. 2.

88. *Primo.* An revelatio sit evidens? Quæstio est de facto, sciz., de revelationibus in præsentī ordine, et maxime de revelatione Christianæ Catholicæ religionis non autem de revelatione in alio quodam ordine possi-

bili. Iterum vocabulum *evidens* hic sumitur stricte pro eo quod clarum est evidentia intrinseca (n. 84). Quæstio ergo est an evidens sit dogmata Christianæ Catholicæ religionis esse revelata? Resp. negative. Ratio est, quia factum revelationis dogmatum in genere, vel hujus aut illius dogmatis in specie, non possumus certo cognoscere ex aliqua evidentia intrinseca, sed ex signis extrinsecis et notis, quæ magisterium Ecclesiæ, ex qua ea addiscimus, ut testis auctorizati, esse a nobis acceptandum astruunt.

8J. *Secundo.* An vero sit hæc revelatio evidenter credibilis? Illud dicitur evidenter credibile, quod, etsi non evidens seu evidenter verum, ratio tamen evidens probat esse credendum ob motiva credibilitatis. Sic testimonium hominum de quibusdam factis reddit ea evidenter credibilia. Etsi enim facta non sint mihi evidentia, ratio tamen evidens suadet testimonium hominum, in talibus circumstantiis, esse credendum. Ad Quæstionem Resp. affirmative, sciz., revelationem nostram esse evidenter credibilem, et dogmata fidei Catholicæ evidenter credibilia. Hæc, ait Suarez (D. 4, S. 3, n. 1), “est assertio certa, de qua nullus Catholicus potest dubitare.” Ratio, quia tot tantaque existunt motiva credibilitatis quæ argumentum evidens et ineluctabile veritatis illius revelationis efficiunt. Vide supra, n. 68, &c.

90. *Tertio.* Non sufficit ad assensum verum fidei in individuis quod simpliciter existant illa motiva credibilitatis unde revelatio fit evidenter credibilis. Sed insuper, in ordinaria providentia Dei et secluso miraculo, requiritur quod vis illorum motivorum (aut saltem unius ex illis per se sufficienter firmi) percipiatur, et

judicium firmum de credibilitate dogmatum præcedat assensum ipsum fidei : seu, aliis verbis, requiritur evidentia credibilitatis : seu, ut alii loquuntur, ut “existencia divinæ revelationis proponatur cum morali certitudine, et infallibiliter, et non pure probabiliter” (Guttierrez). Ita, quoad rem, Lugo, D. 5, n. 3, et n. 24 ; Viva, D. 3, Q. 1, n. 11 ; Suarez, ut patet ex D. 4, S. 5, n. 8 (quem miror videre pro opposita sententia, quoad rudes, &c., citatum a Viva, n. 12) *

Altera difficultas, et obscurior est de personis simplicibus, quæ per se non valent dictam evidentiam assequi, de quibus aliqui argumento convicti confitentur, posse credere sine evidentia credibilitatis, immo interdum teneri.....Nihilominus existimo, *nullum* hominem præbere verum et perfectum assensum fidei Christianæ, nisi prius aliquo modo assequatur, vel participet hanc evidentiam credibilitatis Nam si quis potest prudenter dubitare, vel formidare de credibilitate objecti, poterit etiam de ipsa fide dubitare, aut formidare ; et ita non erit fides perfecta et Christiana: judicium autem credibilitatis non potest esse certum, nisi sit evidens, ut supra etiam ostendi : ergo in *quocumque* vere credente debet supponi tale judicium..... Adde tamen ad respondendum objectionibus, et difficultati propositæ, hanc evidentiam non esse æqualem in omnibus, nec eodem modo esse postulandam in simplicibus credentibus ac in sapientibus : nam isti per se illam percipiunt, penetrando ejus media et principia : illi vero in fide et traditione Ecclesiæ et sapientum illam participant: nam illis satis est quod videant sapientissimos viros et multitudinem Christianorum hanc fidem amplecti, ut indubitam et infallibilem, et quod audiant illam esse confirmatam multis miraculis, et quod, &c. &c..... Nam luce sufficiunt ut, respectu illorum fiat doctrina fidei evidenter credibilis.”—Suarez, n. 7, 8. Deinde n. 9 loquitur de extraordinario casu in quo defectus evidentiæ credibilitatis suppletur a divina inspiratione, qui casus similis est ei a nobis dato n. 91. Viva de sententia Suarezii ita loquitur quasi videretur Eximius Doctor affirmare illam inspirationem esse pro simplicibus regulariter necessariam : quod tamen quantum a mente ejus alienum sit ex jam citatis constat.

Wiggers, Q. 1, n. III ; Sylvius, in. 2, 2, Q. 1, A. 4, Quær. 3; Henno/Q. 4, A. 1, Concl. 1, *vers.* “Confirm. ;” Guttierrez, D. 5, n. 15, qui de hac sententia dicit quod “communior et nunc obligatorie tenenda” sit : IIa bert, C. 2, § 1, Q. 2 et 3 ; Mascarell. S. 101, n. 1. Ita expresse S. Thomas, 2, 2, Q. 1, . 4 :—“Non enim quis crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.” Tn jam citata Encyclica, *Qui pluribus*, eandem doctrinam videtur Summus Pontifex clare docere:—“Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinæ revelationis factum diligenter inquiret oportet, ut certo sibi constet Deum esse loquutum, ac Eidem quemadmodum sapientissime docet Apostolus, (ad Rom. xiv. 1), rationabile obsequium exhibeat” (Acta Pii IX., p. 8). Hæc nobis videntur plane decretoria, in quibus etiam non minus clare insinuatur assertionis ratio jam antea a nobis tacta (n. 65), sciz., assensum fidei firmissimum esse debere, non quavis adhæsione firma, sed rationabiliter firma. Vide infra, n. 97.

91. I. Dixi “in ordinaria providentia Dei.” Negari enim non potest quin Deus possit mentem, uno instanti, ita modo extraordinario illuminare quod, absque ullo ex nostris motivis credibilitatis, aut cum illis sed sine ulla eorundem externa propositione, revelatio ipsa fiat statim evidens. Hoc tamen valde extraordinarium et rarissimum est. Ita sine dubio illuminatus fuit S. Paulus. Est enim communis et certa sententia illum, cum Christo sibi in via apparenti dixerat, “Domine, quid me vis facere” (Act. ix. 6), jam plene fuisse conversum et factum fidelem, imo et contritum et justificatum. In nostris

etiam diebus Romæ facta est mirabilis hujusmodi conversio et illuminatio in persona Mariæ-Alphonsi Ratisbonnii qui, intercedente B. Maria Virgine, a Judaismo instantané et perfecte ad Catholicam Religionem conversus est : prout testatur solemne decretum a Cardinali Vicario, post diligens totius rei examen, die 3 Junii, 1842, editum.

92. II. Dicendo vim illorum motivorum percipi debere ab omnibus, non volumus significare quod debeat percipi eodem modo ab omnibus. Alio enim modo a doctis, alio ab indoctis percipitur (vide verba *Suarerii*, n. 90, *not.*). Attamen illa ipsa eadem argumenta quæ virum doctissimum et sagacissimum persuadere nata sunt, viris etiam rudibus et quantumvis indoctis, si usum rationis sufficientem habeant, modo ipsorum intellectui accommodato proposita, facillima, clarissima et ad suadendum firmissima sunt ; prout, si Deus dederit, suo loco, in solvendis objectionibus adversus Infallibilitatem Ecclesiæ ostendemus.

93. III. Insuper, nullomodo intenditur vim illorum motivorum attendi debere quotiescunque actus fidei elicendus est : *Kilber*, n. 171; *Lumbier*, n. 470. Sufficit enim quod cum primo aliquis, v. g. recens conversus, se ad fidem elicendam accingat considerentur—eorum vi deinceps moraliter perseverante. Utile autem erit ut aliquando in mentem revocentur, aut ut fidelibus a parochis, &c., exponantur, juxta exigentiam temporum, locorum, personarum, &c.

94. IV. Ultimo observandum judicium de *credibilitate* et de *credenditate* non idem omnino sonare. Judicium de *credibilitate* pronuntiat de honestate et rationabilitate credendi, seu motiva talia esse quæ digna sunt ad extor-

quendum assensum. Judicium de credenditate pronuntiat de obligatione hic et nunc credendi. Hæc duo in fidelibus sunt quid unum et idem: sed quoad acatholicos, ex multis quæ a testimoniis gravibus didici, non dubito quin aliquando, imo forsitan haud raro, ea sint disjuncta. Vide infra, D. 5, n. 170.

95. *Quarto.* Constat dogmata fidei esse certissime vera. Constat item ea non esse evidenter vera, evidentia metaphysica aut etiam physica. Ex dictis etiam constat ea esse evidenter credibilia. Sed disputatur an sint evidenter vera evidentia illa morali qua v. g. evidens est existere Romam. Vide Scholasticos, Lugo, &c.*

96. *Quinto.* Dictum est (n. 88) revelationem non esse evidentem, sed (n. 89) tantum evidenter credibilem. Multi auctores qui affirmant eandem veritatem posse esse objectum fidei et scientiæ in eodem homine (n. 86), negant fidei actum ab eo elici posse cui undequaque et immediate evidens est revelatio. Vide Scholasticos. Hæc de his sufficient.

* Pace quorundam gravium auctorum, 1°. Videtur nobis existentiam Pomæ non esse stricte evidentem iis qui eam non videront. Ejus existentia summa est certitudo moralis, sed ex testimonio hominum, quod est motivum extrinsecum. 2°. Distingui debet inter factum revelationis, quod ordinario hominum testimonio probari potest, et dogmata revelata, seu sensum verum propositionum in quibus ea dogmata proferuntur. 3°. Motiva credibilitatis *in se* æque gravia et invincibilia esse possunt in gratiam revelationis aut quorundam dogmatum quæ per illam manifestantur, ac in gratiam existentia Komæ, quin tamen eam vim ineluctabilem exercent in primo casu quam in secundo exercent. In hoc enim obstant præjudicia; obstant caro, mundus et principes tenebrarum harum, quæ omnia et mentem obscurare, et voluntatem in malum allicere et trahere magno conatu indesinenter nituntur.

97. Auctor quidam Gallicus, in opere nuper edito, etsi doctrinam n. 90, propugnatam non explicite neget, aliqua tamen affert in forma argumentorum, quæ, præsertim attento contextu, viderentur illius negationem implicare seu insinuare, et, si solida essent, ipsam doctrinam haud parum infirmare. Ista breviter perstringemus.

Dicit I. Apostoli non semper faciebant miracula ad suam doctrinam confirmandam.

98. Resp. I. Hæc assertio est pure infundata. Nullo testimonio constat Apostolos singulos non fecisse miracula in singulis regionibus infidelibus in quibus primo evangelium prædicabant. Imo oppositum satis probabile videtur, tum 1°, ex eo quod promissio Christi de miraculis quæ a discipulis suis patrandæ erant (Joann, xiv. 12,) in Apostolis ante omnes congrue impleri debuit; tum quia 2°, tot et tam insignia miracula in ipsa Judæa faciebant—inter ipsos Judæos tam ingratos, tam indignos—inter ipsos Judæos, quibus immediate effulgebat splendor vitæ et miraculorum et institutionis Christi, qui ergo minus indigebant, imo nullomodo indigebant novis signis credibilitatis. Rerum ab Apostolis gestarum paucissima scripta sunt : de Paulo pauca, de Petro pauciora, de ceteris vel nulla, Vel fere nulla. Resp. II. Nullatenus opus erat ut Apostoli perpetuo aut in omni loco miracula ederent. Abunde sufficiebat quod interdum et per occasionem ea patrarent. Imo non erat absolute necessarium quod ullum miraculum facerent, saltem ad eos convincendos quibus, testimonio satis firmo, miracula Christi aut alia motiva credibilitatis proposita fuissent. Equidem miracula et alia signa ultra modum et numerum multiplicata sunt sed ex

pura liberalitate Dei, cujus misericordiarum non est numerus.

99. Dicit II. Non semper disserebant de fundamentis Christiana? religionis cum illis quibus eam prædicabant.

100. Eadem est responsio. I. Assertio est infundata. II. Non erat opus illa fundamenta explanare nisi illis quibus jam non erant sufficienter proposita.

101. Dicit III. Paulus et Barnabas cum venerunt Antiochiam Pisidiæ, nullum fecerunt miraculum; synagogam bis ingressi sunt. Judæi qui disputare volebant non erant conversi : alii humiliores et dociliores fidem receperunt (Act. xiii. 14—51). Adeo verum est disputationem non esse medium promptius et securius ad fidem acquirendam.

102. Hæc omnia partim falsa sunt, et partim vitiose conclusa. Etsi nullum fecerunt miraculum, seu potius etsi non scribitur eos ullum fecisse ; *Primo*. Falsissimum est affirmare eos nihil aliud fecisse ad convincendos Judæos quam bis ingrediendo synagogam. I. Longam et gravissimam concionem coram tota synagoga habuit S. Paulus (*vers.* 16 ad 41). Et in illa concione, proposita doctrina Jesum esse verum Messiam (*vers.* 23), hanc doctrinam pluribus clarissimis et potentissimis signis credibilitatis firmavit. II. Protulit testimonium Joannis Baptistæ (*vers.* 24, 25). III. Protulit miraculum resurrectionis Christi (*vers.* 30). IV. Veritatem hujus miraculi probat ex testimonio eorum quibus visus est Christus redivivus (*vers.* 30, 31). V. Qualitates illius testimonii, ad vim ejus omnino invictam adstruendam, exponit ; sciz. : 1°. Christum visum fuisse non semel aut iterum, sed per multos dies ; 2°. Testes iter fecisse cum Jesu ; 3°. Illos testes adhuc vivere et testari (*ibid.*). VI.

^

lii

rr

Hi

X-

1

Denique ipsos Prophetas, Psalmistam et Isaiam, testatur (vers. 33-37), quod genus argumenti vim specialem et specialissimam apud Judæos habere debuit. Etsi ergo S. Paulus nullum tunc ediderit miraculum, signa credibilitatis fortissima in medium protulit, et inter ea signum miraculi, imo miraculi maximi et splendidissimi. *Secundo.* Judæi non conversi non ideo pertinaces erant quia nolebant credere sine signis credibilitatis claris, sed, sicut alii multi ex Judæis qui propriis oculis videbant miracula Christi, quia motiva credibilitatis plura et clarissima et fortissima, seipsos obcæcantes et obdurantes, rejiciebant:—“Judæi repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes” {vers. 45). *Tertio.* Non solum ergo ex hac historia non sequitur conclusio supra (n. 101) data, sed, si aliquid ad praesentem materiam pertinens sequatur, conclusio directe huic opposita sequitur.

103. Dicit IV. Multum abutuntur verbis S. Pauli, *sit rationabile obsequium vestrum.* Primo, hic textus non dicitur de fide solum, sed de universa vita Christiana.

104. Resp. I. Quod dicantur verba S. Pauli de fide,

Les premiers apôtres ne faisaient pas toujours des miracles pour confirmer leur doctrine; ils n'en discutaient pas toujours les bases avec ceux à qui ils l'annonçaient. Lorsque Paul et Barnabe vinrent à Antioche en Pisidie, ils ne firent aucun miracle : ils allèrent deux fois à la synagogue. Les Juifs qui voulurent discuter ne se convertirent pas ; d'autres, plus humbles et plus dociles, reçurent la foi ; tant il est vrai que la discussion n'est pas toujours le moyen le plus prompt et le plus sûr pour croire ! On a beaucoup abusé de ces paroles de saint Paul : *que votre service «oit raisonnable*: D'abord ce texte ne s'applique pas seulement à la foi, mais à tout l'ensemble de la vie Chrétienne.”—*Théo-*

habemus ab interprete egregio, Summo Pontifice (n. 90).
 II. Ex eo quod non dicantur de fide sola nihil sequitur
 contra nos. Actus ceterarum virtutum rationabile esse
 debent, sicut et fidei, sed modo ipsis proprio.

Sectio Octava.—DE LIBERTATE FIDEI.

105. Multi ex Novatoribus tenent hominem non esse
 liberum sive in amplectenda fide sive in ea rejicienda :
 sed necessario vel credere vel rejicere dogmata proposita,
 prout ipsi argumenta credibilitatis vel omnino firma vel
 debilia esse videantur. Hæc sententia satis communis
 est inter Protestantes *liberales* (ut vocantur) harum regio-
 num, maxime politicos et literatos ; non ita vero apud

logie a Vusage des gens du monde, &c., par Charles Saint Foi. Seconde
 édit, avec approbation de S. E. Mgr. Gousset, Cardinal Archevêque de
 Reims. Paris, 1851 (vol. ii., pag. 250).

* Ex his patet quam fœda sit ista plurium Protestantium calum-
 nia, quam toties convulsam, iterum tamen iterumque usque ad nauseam
 decantatam et repetitam hodie denuo repetit scriptor quidam in Recen-
 sione Westmonasteriensi, vol. xiii. pag. 145 :—“It [Protestantism] does
 not, like Catholicism, tell people that they must not reason *at all* [sic]·
 concerning religion” (“Westminster Review,” January, 1858), i. e.
 “Is [Protestantismus] non, sicut Catholicismus, homines docet se de
 religione *nullatenus* [sic] ratiocinari debere.” De usu et abusu rationis
 ante fidem, cum fide et post fidem optime scripsit Peckoxe, de Locis,
 Pars Tertia. In paucis paginis Thomæ, Suarezii, Lugonis, et aliorum
 innumerorum ex nostris Theologis, plus inveniri ratiocinationis solidæ
 et profundæ, quæque ingenii acuminis vim mirabilem præ se fert, quam
 in magnis voluminibus Theologorum Protestantorum Anglicorum
 etiam præstandorum, ex usu longo expertus scio et aflirmo. Excipi
 debent ea quæ ex nostris Theologis *nunquam nominatis* expilarunt isti
 Protestantes, quæ (in iis quæ non pertinent ad eorum errores) quanta
 sint, et in materia Theologica et in interpretandis Scripturis, vix cre-
 dibile existimarem, nisi propriis oculis inspexissem.

cos qui theologorum nomine ꝑloriantur. Argumenta præcipua ad hunc errorem propugnandum allata infra dabuntur. Quicquid dixerint veteres quidam Scotistæ apud *Herincx*, D. 7, n. 12, et alii, loquentes de casu extraordinario revelationis evidentis, apud *Mastrium*, D. 6, n. 240 ; pro certissimo tenendum est assensum fidei in præsentî ordine, et secundum ordinariam Dei providentiam,! esse omnino liberum.

106. Probatur *Primo*, ex S. Scriptura. “Praedicate evangelium omni creaturæ : qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur” *Marc.* xvi. 15. “Qui credit, in eum non judicatur ; qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei:” *Joann.* iii. 18. Ili, quibus addi possent alii multi similes textus plane implicent libertatem in credendo plenam. Præceptum enim credendi innuunt, et poenas terribiles non credentibus intentant : sed libertate carentes nec poenis obnoxii esse

* *Hazlitt* (“Reliquiæ Literariæ,” *Commentario* L 4, vol. i. p. 83), dicit quod, “In philosophia moderna axioma est fidem esso absoluto involuntariam.” Statim addit hoc principium (quod tamen ipse omnino rejicit, illud in citato commentariolo refellens), primo excogitatum vel in lucem prolatum fuisse ad impugnandam “religiosam persecutionem” i. e. doctrinam quæ affirmat licitum aut obligatorium esse hæreticos poenis temporalibus afficere. Hoc utique argumentum cui favet *Atackitosu* (“*Commentatio de Philosophice Ethicæ Progressu*” Art. *David Huite*, *Opera*, vol. L p. 145), inter alios diserte adducit et urget *Scriptor* quidam in “*Illecensione Edinburgensi*” (vol. xci. pag. 552, &c., April, 1850).

f *Negari* non potest Deum posse dare revelationem evidentem. Sed an in hoc casu extraordinario fides esset libera, aut an assensus datus vocari debeat assensus fidei necne, ad nos non pertinet examinare. Vide n. 96.

possunt, nec præcepti capaces. Iterum, Joann, vi. 68 : “Dixit ergo Jesus ad duodecim, numquid et vos *vultis* abire?” Ex quo patet illos liberos fuisse recedere a Christo vel ei adhærere, i. e. credere aut non credere. Denique, si quodvis motivum credibilitatis assensum necessitaret, hoc certe præstare debuerunt miracula Christi. Attamen etiam ex Judæis qui ea viderunt inulti non crediderunt :—“ Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum Joann, xii. 37. Alia sunt loca S. Scripturæ innumera quæ hanc libertatem variis modis supponunt et indicant. Vide plura apud Mascarell. Sect. 25, &c.

107. Probatur Secundo, ex Rationibus Theologicis. *Primo.* Ipsum objectum fidei non est evidens sed obscurum (n. 6, &c. et n. 85). Nec evidens est ipsa revelatio (n. 88). Intellectum ergo vi necessitàe intrinseca non trahunt. Neque trahunt vi extrinseca, sciz., ex motivis credibilitatis. Etenim I. hæc motiva non dissolvunt obscuritatem objecto fidei et revelationi inhærentem. Ista enim obscuritas eadem manet qualis antea fuit ; et per se potius ab assensu repellit quam ad eam cogit. II. Etsi hæc motiva ultimo nitantur principio metaphysice certo ; attamen 1°. nexus eorum cum isto principio est moralis, seu, aliis verbis, argumentum quo probatur ea niti tali principio et in illud resolvi est generis moralis. 2°. Evidentiam tantum moralem pariunt, i. e. eam quæ ex consideratione variorum factorum et relationum et principiorum naturæ humanæ, &c., ostendit rem ita se habere—seu, aliis verbis, ostendit rem, *positis rebus ut sunt*, non posse aliter se habere—sed nullomodo ostendit (hæc enim esset evidentia metaphysica), rem *absolute* et in quacunque hypothesis aliter se non posse habere. Jam-

en

I-

W'

4' 1 1

2

vero de natura talis evidentiae est quod non cogat assensum : Γ. Quia ex consideratione seriei et nexus tot capitum, momentorum, elementorum exurgit ; 2°. Quia infinitis cavillationibus obnoxia est, quæ, etsi in rei veritate futiles, mentem a cupiditatibus et praejudiciis pravis non bene expurgatam perturbare et in suas partes inclinare natae sunt.

108. *Secundo.* Notum est passiones nostras, etiam in rebus ad religionem non pertinentibus, ita in nos sæpissime dominari ut, ex una parte, vehementer nos abducant a receptione et etiam a contemplatione et examine illarum veritatum quæ, etsi argumentis clarissimis firmata, propriis tamen commodis temporalibus aut voluptatibus aut opinionibus pravis opponantur ; et, ex altera parte, impellant in judicia et opiniones falsissimas quæ eisdem commodis, &c., faveant. Hæc experientia quotidiana constant. Si sic in aliis negotiis, quanto magis in negotio religionis ? De hoc ipse Dominus noster sic queritur:—"Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem ; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus Joann, iii. 19.

109. *Tertio.* Denique, unusquisque conscius sibi est, etiam postquam constiterit de gravitate rei et de obligatione examinandi, se prorsus liberum esse in convertenda mente sua ad inspicienda et ponderanda motiva credibilitatis, et, etiam inter examinandum, se bene posse (etsi forsitan non sine angore conscientiae), alio mentem divertere.

110. Ex his sequitur assensum fidei, etsi actus est ab intellectu elicited, ut patet et ab omnibus affirmatur»

a voluntate tamen imperari. De hoc imperio voluntatis seu pia affectione, et de ejus supernaturalitate, vid. *Suarez*, D. 6, S. 7 ; *Lugo*, D. 10, S. 3, &c. &c.

111. Contra prædicta *objicitur* I. Non est voluntatis credere sed intellectus solius. Ergo non requiritur actus voluntatis in credendo.

112. *JResp.* Non est voluntatis credere, actu elicitio : Cone. : actu imperato : Nego. Responsio patet ex dictis. Obstant enim cupiditates, præjudicia, &c., ne intellectus rite suo officio fungatur. Hæc autem impedimenta amovere voluntatis est. Ergo quod aliquis fidem acceptet aut respuat ex imperio voluntatis pendet.

113. *Object.* II. Vel objectum intellectui propositum verum est, vel non. Si verum sit, intellectus non indiget auxilio voluntatis ut illud credat : neque potest voluntas augere vim persuasibilem veri propositi. Si falsum sit, non potest voluntas facere ut intellectus illud credat.

114. *Resp.* Dist. Min. 1°. Si verum sit evidenter evidentiâ clara, intellectus non indiget, &c. Cone. : Si verum sit sed non evidens: Nego. 2°. Non potest voluntas augere vim persuasibilem veri propositi, si proponatur ut clare evidenter verum : Trans, vel Cone. : Si proponatur tantum obscure et ut credibile, Subdist. : Non potest voluntas augere vim persuasibilem intrinsecam et directe : Cone. : extrinsece et indirecte : Nego. 3°. Si falsum sit, non potest voluntas facere, &c. directe : Cone. : indirecte : Nego. Quia potest avertere intellectum a consideratione signorum falsitatis : quod quidem apud multos homines fit quotidie.

115. *Object.* III. Vel motiva credibilitatis sufficientia sunt ad extorquendum assensum, vel non. Si primum,

necessario assensum rapiunt : si secundum, necessario rejiciuntur.

116. *Resp.* Nego min. Solutio patet ex dictis n. 107, &C.

117. *Object.* IV. Fides qua creditur veritas Christian[®] religionis non est libera. Sanctio enim hujus religionis, magnitudo præmiorum quæ credentibus reposita sunt in altera vita et terribilis expectatio judicii quæ incredulis manet, adeo trahunt in unam partem, ut non sit vera aut saltem plena libertas in alteram partem declinandi. Ita, quoad rem, plures in his regionibus, prout testatur auctor recens Anglus Protestanticus.

118. *Resp.* I. Objectio implicat in terminis. Vel enim creditur illam sanctionem annexam esse Christian[®] revelationi, vel hoc non creditur. Si non credatur, quomodo potest sanctio non credita animum movere ? Si vero credatur, ergo jam creditum est Christianam revelationem esse veram ; non potest enim credi talem sanctionem fais[®] religioni esse annexam.

119. II. Innumeri sunt homines qui firmissime credunt bonis operibus æterna præmia, malis autem æterna supplicia in vita futura esse rependenda, et tamen peccant graviter et habitualiter. Ergo sanctio ista non perimit libertatem.

120. III. Similis est h[®]c objectio illi quæ in Tractatu de Actibus Humanis urgetur contra libertatem actus evitandi peccatum ex timore poenarum inferni, et simili responsione dissolvitur. Vis concupiscenti[®] vehementer urget Petrum ad violandum præceptum v. g.

* Rev. T. T. Smith, M. A. : “ Prælectiones Hulseæ pro Anno 1839.” Pag- 18.

temperantiæ. Ingruente hac tentatione Petrus minus liber et indifferens est ad non violandum præceptum. Ergo timor gehennæ superveniens et impellens Petrum ad servandum præceptum non tantum non minuit, multo minus destruit, liberum, e contrario restaurando, ut ita dicam, æquilibrium animi et elidendo vim concupiscentiæ oppositæ (quæ libertatis graviter læsiva est) illam libertatem restituit et erigit. Tantum abest quod libertas in illo casu minuatur, potius recuperatur et augetur. Ita etiam in præsentī casu. Vis enim quam consideratio sanctionis Religionis Christianæ in mentem exercet ad hoc tantum inservit quod liberet eam a servitute diaboli et mundi et carnis qua mancipata fuit, et, nisi propter hanc considerationem aut aliam sublimiorem, mancipata mansisset.

1

Sectio Nonā.—DE SUPERNATURALITATE FIDEI.

121. Quoniam quæstiones de supernaturalitate fidei, sicut et aliorum operum, vel pertinent ad Tractatum de Gratia, vel definitiones et principia in illo Tractatu exposita supponunt, hinc præsentem materiam quam brevissime hic tangemus.

122. *Primo*. Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem *non* sufficit. Contradictoria enim propositio (i. e. hæc eadem propositio, dempta particula *non*) damnata est (Prop. 23, Innocent.

* Et hæc solutio hujus difficultatis, qua, ut ait Billuart, non parum torquentur multi Theologi, mihi vera et absoluta esse videtur. Aliæ autem solutiones (quas vid. ap. eundem Bill, de Actib. Human. D. 1, A. 7, Object. 1), a Theologis vulgo allatæ mihi nunquam plene satisfacere poterunt.

XL). Undè certum est quod fides, ut sufficiat ad justificationem, debeat esse supernaturalis quoad motivum, i. e. uiti auctoritate Dei revelantis. Hæc est fides proprie dicta; et illa alia fides late dicta est fides humana vel scientia. Vid. *Viva*, *Damnat. Thes. in Prop. 23*, *Innocent. XL*; *Lugo*, *D. 12, S. 1*; *Herincx*, *D. 7, Q. 4*; *Croix*, *n. 8 et n. 23*; *Suarez*, *D. 12, S. 1, n. 6*.

123. *Secundo*. De fide est sine gratia nec fidem salutarem nec initium hujus fidei haberi posse. Ita contra Pelagianos et Semipelagianos definitum est in *Concil. Arausicano*, *Can. 5*, et in *Concil. Tridentino*, *Scss. 6, Can. 3*. Fides ergo salutaris debet esse supernaturalis in principio; item et initium fidei salutaris. Porro “advertendum est illa voce [initium fidei] significari posse quicquid, post revelationem fidei et ultra illam, ex necessitate antecedit in intellectu aut voluntate, antequam intellectus proprium assensum fidei eliciat. Hoc autem sic prævium ad assensum fidei duplex cogitari potest, sciz., voluntas credendi, et interna vocatio et excitatio ad volendum credere: hæc enim duo per se necessaria sunt. *Suarez*, *de Gratia*, *L. 2, C. 3, n. 1*.

124. *Tertio*. Certum est aliqua fidei objecta esse supernaturalia, non tantum eo sensu quod propter auctoritatem Dei revelantis credenda sint (quo sensu omnia fidei objecta supernaturalia sunt, *n. 122*), sed etiam quia non possunt in nostram notitiam devenire nisi medio supernaturali, sciz. revelationis. Talia sunt dogmata Trinitatis, Incarnationis, &c.

125. *Quarto*. Supernaturale distinguitur in supernaturale quoad substantiam et supernaturale quoad modum. Ex dictis actus fidei salutaris debet esse supernaturalis saltem quoad modum. An vero sit supernaturalis in se

seu quoad substantiam, adeo ut nemo possit, sine gratia, ponere ipsam entitatem actus, seu elicere ipsum physicum actum credendi propter divinam auctoritatem? Communior est sententia affirmans. Sed nimis longum esset terminos ipsos et statum quæstionis exponere, multo magis quæstionem resolvere. Vid. Suarez, de Gratia, L. 2, C. 4; Lugo, D. 9, S. 2.

Sectio Decima.—DE NECESSITATE FIDEI AD SALUTEM.

§ I. Necessitas Medii et Præcepti in genere.

126. Duplici modo aliquid dici potest esse necessarium in ordine ad salutem, sciz., vel necessitate medii, vel necessitate præcepti. Ad hanc distinctionem exacte intelligendam sequentia notanda sunt. I. Præceptum, generice sumptum, est ordinatio ex imperio superioris procedens, de aliquo agendo vel omittendo. Medium (prout hic accipitur, medium positivum), est id per quod, causalitate seu influxu quodam positivo, finis, ad quem ut medium ordinatur, attingitur. Sic ambulatio est medium quo transitur a loco in locum; gratia est medium ad opus salutare ponendum. Res aliqua potest esse medium, ita tamen ut ad finem assequendum noster usus illius rei omnino requiratur. Sic oculus sanus est medium ad legendum, item pedes ad ambulandum, cultellus ad secandum, navis ad navigandum, &c., sed non sine nostro usu. Sic gratia actualis est medium ad opus salutare, sed non sine nostra cooperatione. Hæc supponuntur in sequentibus ut conjuncta in significatione generali medii, sciz. res utenda et ejusdem usus.

127. II. Medium potest esse efficax vel inefficax, seu adaequatum, vel inadæquatum. Efficax est, quo posito habetur finis seu effectus; qualis est contritio perfecta

in peccatore relate ad justificationem Inefficax, quo solo posito non attingitur finis ; qualis est attritio in eodem peccatore. Est tamen verum medium, etsi se solo non adaequatum ; positis enim ceteris quæ requiruntur, cum illis concurrat positive et concausaliter ad finem assequendum : et omnia simul conjuncta unum medium efficax efficiunt.

128. III. Medium est vel necessarium vel non necessarium. Et hoc non-necessarium potest esse non solum utile sed summe efficax. Tale esset medium ad gloriam æternam assequendam, ducere vitam, qualem Sancti duxerunt, in perpetua oratione, mortificatione, &c.

129. IV. Medium necessarium tale est vel absolute vel hypothetice. Est absolute necessarium, si ad finem attingendum cuicumque quacumque hypothesi sit tale. Talis est, secluso miraculo, institutio et consuetudo cum hominibus ad comparandum usum loquelae humanæ : talis est gratia sanctificans ad vitam æternam. Est hypothetice necessarium si non nisi posita tali aut tali hypothesi necessarium sit. Talis est missio nuncii ad aliquid impertiendum ei cui non potest per literas aut viva voce significari. Talis est contritio quædam ad justificationem in eo qui habet actuale grave.

130. V. Iterum, medium necessarium est vel unice et in se necessarium, vel distributive. Est unice necessarium cum non detur aliud medium quo locus ejus suppleri possit. Talis est aqua ad vivendum pro piscibus, aer pro hominibus : talis est contritio quædam in exemplo

* Si lectori occurrat exemplum medii vere sufficientis et tamen non efficacis, v. g. gratiæ mere sufficientis, attendat ad supra dicta de re utenda et ejusdem usu.

jam (u. 129) dato. Est necessarium distributive si aliud existât medium quo locus ejus suppleri possit. Talis est missio nuncii ei qui potest communicare aliis mediis. Talis est contritio perfecta in peccatore ; locus enim ejus suppleri potest per contritionem imperfectam in sacramento poenitentiae. Talis est pro non baptizato baptismus fluminis, cujus locus suppleri potest baptismo fluminis aut sanguinis. Quod tamen medium est per se solum distributive necessarium potest fieri unice necessarium, sciz. si desint alia media.

131. VI. Medium est vel immediatum seu proximum, vel mediatum seu remotum. Immediatum illud est quo proxime, absque alio medio interposito, attingitur finis. Talis est contritio perfecta, aut receptio sacramenti poenitentiae cum attritione, relate ad justificationem. Medium mediatum illud est quo medium immediatum habetur. Talis est oratio relate ad justificationem peccatoris. Per orationem rite factam habetur contritio, per contritionem justificatio.

132. Ex his patet distinctio inter necessarium necessitate mediis et necessarium necessitate praecepti. Quod enim necessarium est necessitate praecepti, ut tale, solummodo necessarium est quia praeceptum, et cessante obligatione praecepti, cessat omnino esse necessarium. Sic, confessio omnium mortalium quae memoriae occurrunt post diligens examen necessaria est necessitate praecepti divini ad absolutionem validam. In casu autem impotentiae physicae aut moralis non urget praeceptum illud, et ergo non est necessaria confessio talis. Medium vero etiam necessarium, ut sic et per se, praescindit a praecepto, quod est ei omnino extrinsecum et superadditum. Sic fines sunt numero infiniti non solum

d

4

indifferentes sed etiam, ut furtum, homicidium, &c., illiciti, quorum ergo media necessaria non sunt necessitate præcepti. Ira etiam in materiis maxime laudabilibus. Sic medium ad acquirendas virtutes Evangelicas in gradu heroico est praxis mortificationis magnæ, &c. : sed medium hoc non est de præcepto, quia finis non est de præcepto. Sic infanti necessarius est baptismus necessitate mediæ ad salutem, sed non necessitate præcepti, cujus non est capax infans : imo nec alios urget præceptum conferendi baptismum, si hoc sit illis impossibile v. g. ex defectu materiæ etiam dubiæ.

133. Iterum, quod est necessarium tantum necessitate præcepti v. g. ad salutem (quædam enim sunt necessaria necessitate et mediæ et præcepti), non solum non est necessarium necessitate mediæ, quod ex ipsis tenuinis patet, sed, per se et necessario, non est medium omnino, nisi *negativum*, sciz., removendo obicem ex violato præcepto interpositum. Sic restitutio pro re ablata, jejunium quadragesimale, &c., sunt necessaria necessitate præcepti; et præcepta hæc vere implentur, quin aliquid efficiat eorum impletio quod positive conducat ad salutem, v. g. si impleantur in statu peccati nullomodo retractati, aut sine motivo supernaturali]. Si opus quo impletur præceptum ita fiat ut sit vere salutare aut etiam meritorium de condigno, hoc, etsi cadat forsan sub fine præcepti, non cadit sub ipso præcepto v. g. restitutionis, jejunii, &c. Dixi supra *per se et necessario*: dari enim possunt et quidem dantur præcepta quæ non possunt impleri nisi per opera de se positive conducentia ad vitam æternam.

134. Summa rei est: Necessarium necessitate præcepti, ut sic Γ. Est necessarium pure quia præceptum ; 2°. Non est necessario medium ad salutem ; 3\ Multo

NOTIONES PRÆVIÆ DE FIDE

minus medium necessarium. Necessarium ad salutem necessitate medii absolute et determinate : 1°. Est medium positive conducens ad salutem ; 2°. Est medium absolute necessarium ; 3°. Est medium unicum, seu cujus locus alio medio suppleri nequit

135. Ex hac distinctione intrinseca et radicali aliæ oriuntur differentiæ, quas breviter et bene exponit Suarez, D. 12, n. 3. I. Necessitas præcepti respicit tantum actus liberos : necessitas medii potest esse in aliis rebus, qualis est necessitas gratiæ habitualis ad salutem. II. Necessitas præcepti cadit solum in adultos ratione utentes : necessitas medii cadere potest in infantes, qualis est necessitas baptismi. III. Necessitas præcepti invenitur in actibus et carentia actuum : necessitas medii in solis actibus aut rebus positivis. IV. Necessitas præcepti potest excusari per ignorantiam invincibilem : necessitas medii non potest. Hæc ille, quorum rationes ex dictis satis manifestæ sunt. De his, et aliis hic consulto omissis v. Suarez, l. c.; Lugo, de Eucharistia, D. 3, S. 1 ; Dicastillo, de Baptismo, D. 1, n. 223, &c., et de Eucharistia, D. 1, n. 84, &c.

136. Doctrinæ orthodoxæ de necessitate fidei capita hæc sunt, quæ sequuntur. Affirmantur autem de præsentis solum ordine, prout illum de facto Deus constituit. Non est enim quæstio an Deus potuit alium condere ordinem, in quo non esset necessaria fides, aut non eodem modo necessaria quo nunc est.

§ 2. Doctrina Orthodoxa de Necessitate Fidei, Necessitate Medii.

137. I. Fides est ad salutem simpliciter necessaria, necessitate medii absolute, pro omnibus omnino hominibus sine ulla exceptione.

138. II. Sufficit pro infantibus fides habitualis : “Originale quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur sacramenti.”—Innocent. III., cap. *Majores*.

139. HL Pro adultis ad justificationem assequendam absolute requiritur actus fidei. Et hic actus fidei : 1°. Est medium necessarium determinate, nec sufficit votum illius ; et 2°. Ut jam dictum est (n. 123), non solum debet esse supernaturalis in principio, sed 3°. Etiam in motivo

140. IV. Qui etiam in infantia baptizatus est, cum ad usum rationis sufficienter pervenerit, tenetur ex praecepto divino elicere actum fidei (ut jam dicemus n. 146). Sed quæstio est an hic actus sit necessarius necessitate mediæ pro illo homine, ita ut, si inculpabiliter hunc omiserit, et, antequam in grave inciderit, moriatur, damnabitur? Resp. actum fidei non esse necessarium in isto casu necessitate mediæ. Ita Suarez, D. 12, S. 2, n. 10 ; Lugo, D. 12, n. 3 ; Kick, n. 757 ; Herincx, D. 7, n. 32 ; Croix, n. 11, et, ut puto, omnes auctores graves. Ratio satis patet.

141. V. Quoad dogmata quæ sint quæ ab omnibus adultis *explicite* credenda sunt, necessitate mediæ, ad justificationem assequendam (n. 139) : 1°. Omnes conveniunt necessariam esse fidem in duos articulos Dei Remuneratoris, secundum verba Apostoli, Hebr. xi. 6 (n. 151); et ex æquo utrumque articulum esse credendum *explicite*, secundum propositionem damnatam, 22 Innocent. XL :—“Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate mediæ, non autem *explicite* Remuneratoris.” Quæ autem involvantur in fide istorum articulorum necessaria, vide ap. Suarez, Lugo, η. 123, &c. 2°. Ante

Evangelium promulgatum communis videtur et plane certa opinio non fuisse necessariam necessitate medii fidem in Trinitatem et Incarnationem, 3\ De necessitate vero credendi explicite hos duos articulos post Evangelium promulgatum scinduntur Theologi. Multi graves Auctores negant hanc necessitatem medii. Vid. argumenta ex utraque parte ap. Suarez, Lugo ; vide et S. Alph. Liguori, *De Fide*, n. 2.

§ 3. Doctrina Orthodoxa de Necessitate Fidei Necessitate
Præcepti Divini.

142. I. Præceptum negativum, sciz., nullum dogma revelatum et sufficienter propositum rejiciendi, omnes sub gravi semper et pro semper ligat.

143. II. Præter explicite credenda tenentur omnes præcepto positivo, omnia a Deo revelata saltem implicite credere.

144. III. Præcepto positivo tenentur etiam ea explicite credere quæ explicite sunt credenda necessitate medii. Et hoc præceptum ad ea se extendit quæ nonnisi probabiliter necessitate medii credenda sunt (n. 141, 3°): in iis enim quæ sunt necessaria necessitate medii, tenemur sequi opinionem tutiorem, relicta probabiliter minus tuta.

145. IV. Alia sunt ex præcepto divino explicite credenda, de quibus quæ sint et quo modo credenda, vide ap. Theologos in materia Morali.

146. V. Omnes omnino, sive jam habuerint fidem habitualement (quales sunt baptizati in infantia), sive non, tenentur, si illis fides sufficienter proponatur, adepti usu rationis, actum fidei explicite elicere—intelligendo tamen illud tempus adepti usus rationis non metaphysice sed

moraliter (v. *Collat*, de Peccatis, P. 1, C. 2, A. 1, S. 1, *Quær.* 2°, vol. 3, p. 431). Ita communis, *Suarez*, l. 13, S. 5, n. 6; *Lugo*, D. 13, n. 21; *Valentia*, Q. 2, P. 5; *Castropalao*, D. 1, P. 12, n. 5; *Reiffenstuel*, Tr. 4, n. 32; *Illsung*, n. 37; *Salmantic.* (Cnrs. Moral), C. 2, n. 29; *Mayol*, Q. 1, A. 1, § 1 (hic auctor male citat *Suarez*, et *Valent*, pro sententia opposita). Mihi non omnino decretoria sunt argumenta ab eodem *Mayol* et aliis allata. Magis placet argumentum *Lugonis*, n. 23: —“Fidei præceptum, licet sit affirmativum et non obliget pro semper; est tamen cultus et reverentia, quæ debetur divinæ auctoritati aliquid nobis proponenti et testificanti. Quare sicut ille cui occurreret Rex, teneretur statim ei exhibere reverentiam, quam si non exhibeat, non solum peccaret contra Regem tunc, sed etiam quamdiu Rex permaneret præsens, et ipse maneret etiam sine ulla cultus exhibitione; sic etiam quando nobis primum occurrit divina auctoritas sufficienter proposita, peccamus, si non eam debita reverentia excipimus; et quamdiu ita manemus, continuatur idem peccatum, sicut continuatur in eo qui non restituit ablatum, quia adhuc perseverat eadem obligatio reverentiæ.”

§ 4. *Errores Protestantium.*

147. In hac materia de necessitate fidei ad justificationem et utriusque nexu, multipliciter errant Protestantes—deistas enim professos et alios hujusmodi omittimus. Errant de modo quo fides disponit ad justificationem, de sufficientia fidei solius ad justificationem, de natura fidei quam vocant justificantem, quamque non fidem quam nos definivimus (n. 10), sed fiduciam quantum qua credit quis sibi sua remitti peccata esse affir-

inant. Errant et de natura justificationis ipsius. Etsi autem hi errores arctam habeant conjunctionem cum aliis eorundem Protestantium erroribus in materia de Ecclesia; cum tamen nostri Theologi istos errores omnes in materia de Gratia plene exponant et disjiciant; cumque controversiæ de illis huic Disputationi immissæ eam in immensum distenderent, eas hic omnino prætermittimus. Hic etiam quæstionem, in Tractatu de Baptismo enucleatam, omittimus, per se quidem gravissimam et hodie inter nostros Protestantes celeberrimam, utpote jam a pluribus annis inter eos tam acriter disputatam, sciz., de effectu Baptismi, et ideo de ejusdem necessitate ad infundendum infantibus habitum fidei et justitias. Unicum eorum errorem et inter cos satis communem, de necessitate fidei ad justificationem adultorum, hic indicabimus et breviter refutabimus.

148. Eorum autem est error iste qui, etsi fateantur, aut forsitan faterentur, fidem esse iis absolute necessariam quibus annunciatum est Evangelium, de aliis vero quibus non est sufficienter propositum (quos vocamus infideles negativos) nihil esse, tanquam revelatum et de fide, pro-

* “The Protestant conception of the Church follows naturally from the doctrine of justification by faith i. c. “Ex doctrina justificationis per fidem sequitur naturaliter notio Ecclesiæ Protestantica.”—LITTON, de Ecclesia Christi, p. 4. “The difference between the two Churches on this point [Justification] causes an essential and vital difference through the whole system of their theology:” i. e. “Sententiæ discrepantes duarum Ecclesiarum [sciz. Catholicæ et Protestanticæ] de hac materia [sciz. Justificationis] substantialem et essentialem efficit discrepantiam inter utriusque systema theologicum universum.”—HOOK [Church Dictionary], Dictionarium Ecclesiasticum, sub vpee *Justification*.

at

nunciandum affirmant. Hos omnes “ misericordiæ Dei non-pactæ seu non-promissæ remittendos esse”^{*} volunt. Quasi cum Deus clare revelaverit promissionem vitæ æternæ iis qui Evangelium ipsis propositum acceptant eique obediunt, quique ergo vivunt “ sub misericordia Dei pacta ;”^f de salute autem eorum quibus Evangelium non est propositum, seu, ut aiunt, “ de salvabilitate ethnicorum. nihil revelavit, aut saltem nihil clare et definite. Contra hunc errorem hæreticalem Ecclesia Catholica docet, etsi ipsa infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum non sit (prout definivit in damnatione Proposit. 68 Baii), fidem actualem esse omnibus omnino adultis ad justificationem assequendam necessitate mediæ absolute necessariam.

149. Probatur hæc doctrina ex S. Scriptura.

Triplici modo in S. Scriptura exhibetur conjunctio fidei cum justificatione, qui modi simul sumpti et contemplati suadent et plane significant illam necessitatem mediæ. *Primo.* Fides exhibetur, etsi non unicum, attamen magnum illud et primarium principium justitiæ comparandæ et etiam conservandæ, seu, ut loquitur Cone. Trident., “humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis” (Sess. 6, cap. 8). Celebris est textus S. Pauli :—“Virtus enim Dei est in salutem omni credenti Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est [Habac. ii. 4] : Justus autem ex fide vivit [Gr. vivet] Ptom. i. 1G, 17.

“ Left to the uneovenanted mercies of God.

“ On the covenanted mercies of God.”

^f “ On the salvability of the heathen.”

Hæc verba ultima bis alibi repetit, sciz., Galat. iii. 11 ; Ilebr. x. 38. Per vitam in hoc textu significari justitiam constat ex usu frequentissimo S. Scripturæ. Patet etiam ex textu : non est enim quæstio de vita naturali quam habent homines injusti, et sine Evangelic aut fide, sed de vita supernatural! quæ est ad salutem, et quæ vocatur “justitia Dei,” i. e. justitia a Deo nobis collata nosque sanctos reddens ; ita ut ultimis verbis declaretur undenam justus sit justus, q. d. “Justus ex fide justus est.” Tria autem in verbis allatis affirmantur : 1°. Evangelium esse virtutem Dei in salutem, i. e. Deum (non quidem materiali scripto seu libro, sed) per prædicationem Evangelii, et per ea quæ in illo prædicantur, sciz., merita Christi, &c., operari salutem, et ideo præviam justificationem. Cuinam autem Evangelium dicitur esse virtus Dei ? “ *Omni credenti.*” In quibus verbis duo sunt, unum clare declaratum, alterum non minus clare insinuatam, sciz., Evangelium operari salutem omni credenti et *soli* credenti. Sicut enim qui affirmat tale aut tale beneficium iis esse conferendum qui tales aut tales dotes habent, eo ipso significat iis solis et non aliis esse conferendum ; ita Apostolus, dicendo salutem et justitiam credenti dari, eo ipso significat soli credenti— nisi aliquid addat ad hanc insinuationem præcavendam. Atqui non solum nihil tale addit, sed, c contrario : 2°. Confirmat jam dictum ex testimonio ipsius Evangelii, in quo, ut dicit, revelatur justitiam a Deo nobis datam ex fide oriri, et, manente et crescente fide (“ex fide in fidem”), manere et crescere. Quod 3°. usurpando et accommodando verba Propheta, clarius declarat comparatione facta inter vitam supernaturalem et naturalem, Sicut enim homo vitam habet et retinet ex principiis

M. L. ... 11

quæ vitam dant, et conservant, ita justus justitiam habet et retinet ex fide. Ex qua comparatione planum est ex fide gigni justitiam et sine fide nec haberi nec conservari posse. Ex his patet fidem esse a Deo constitutam tanquam radicem ex qua, et sine qua non, omnis justitia oriffinem habet : seu, aliis verbis, esse necessariam necessitate medi ad justificationem.

150. *Secundo.* “Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis:” Rom. iii. 28. “Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi et non ex operibus legis ; propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro Galat. ii. 16. In his locis S. Paulus (praeterquam quod de fide sola loquatur tanquam medio ad justificationem, ex quo redit argumentum, n. 149, Γ.) diserte opponit fidem alio medio sciz., operum sine fide factorum ; et hoc, ut dispositionem positivam ad justificationem, tanquam omnino sterile et inutile reprobat. Dicendo ergo opera non facta in fide, etsi moraliter bona (aut ut sic habita), non justificare et ipsi fidei acceptam referendo justificationem, plane dicit nihil justificare siue fide i. e. fidem esse medium absolute necessarium. Quodcumque enim concipi potest ex parte nostri ut dispositio (aut, si velint Protestantes, conditio sine qua non), seposita fide, necessario includitur in operibus. Nisi fors an aliquis contra universam Scripturam diceret, quod an aliquis insane dixerit nescio, adultum justificationem assequi posse, absque ulla omnino dispositione aut conditione, sive fidei sive operum.

151. *Tertio.* “Sine fide autem impossibile est placere Deo ; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia

est et inquirentibus se remunerator sit Ilcbr. xi. 6. “Placere Deo” idem significare ac esse justum coram Deo, ex ipsa vi verborum adeo planum est, ut hoc argumentis confirmare supervacaneum esse ducerem, nisi quidam id negare videantur. Ita Rosenmuller, apud quem “placere Deo” idem sonat ac “colere Deum ita ut fides sit necessaria ad cultum Dei, quia nemo eum colere potest quem omnino ignorat. Ex quo insinuari videretur, aut saltem inferri possit, cum non affirmetur cultum esse necessarium ad salutem, et non affirmetur fidem esse necessariam nisi ad cultum, ergo non affirmari fidem esse necessariam ad salutem. Insuper aliquis cultum Deo præstare potest quin sit justus. Jam vero 1°. Injusti ubique in S. Scriptura exhibentur ut filii iræ, inimici Dei, æternæ pœnæ obnoxii, sub potestate diaboli mancipati, &c. Sed sane qui tales sunt, quamdiu tales manent, non possunt dici placere Deo. 2J. Nullibi in S. Scriptura “placere Deo” significat “colere Deum,” nisi forsitan aliquo actu cultus qui a cultore justo fit, aut qui cultorem reddit justum. 3°. Hinc non nisi justus dicuntur placere Deo aut esse placentes Deo ; ut ex variis locis et Novi et Vet. Testamenti constat, v. g. Rom. xii. 1, xiv. 18 ; 2 Corinth, v. 9, &c. 4°. In hoc ipso lôco, vers. 5, cum de Henoch dicitur quod

* “ Non potest autem fieri ut quis sine fide colat Deum eique placeat ; credere enim oportet cum, qui Deum colit, cum existere, et cultoribus suis foro remuneratorem. *Evapcarciv τινι* est facere id quod placet alteri, eique gratum est ; hinc *evapearciv τῷ Θεῷ* idem est ac colere Deum cum studio ei placendi..... Fides Enoch in eo erat, quod credebatur, Deum esse, cumque esse remuneratorem hominum proborum. Hoc nisi credidisset, non potuisset eum colere. Nemo enim colit eum, quem ne existere quidem putat.”

placuisset Deo, non aliquid aliud significatur quam quod fuisset justus, imo eximie justus, et justus sane quia fuerat cultor perfectus.

152. Posito ergo quod “placere Deo” idem significet ac esse justum coram Deo, diserte et absolute affirmat S. Paulus impossibile esse hanc justitiam sine fide comparare. Et quod loquatur de fide proprie dicta, et non de ista fiducia Protestantium aut alia quavis fide improprie dicta, et quod loquatur de fide actuali ; patet ex verbis subjunctis in quibus significat se loqui de fide qua credimus, et quæ sint dogmata credenda indicat :—“ Credere enim oportet,” &c.

153. Triplici ergo modo necessitatem fidei ut medii ad salutem affirmat S. Paulus: 1°. Affirmando fidem esse medium ad justificationem, et justificationis radicem et principium ; et cum de solo habente fidem mentionem faciat, utpote cui promittitur justificatio, implicite significat soli credenti justificationem dari (n. 149). 2°. Diserte excludit quodvis aliud medium in quo fides non includitur (n. 150). 3°. Absolutam necessitatem medii fidei diserte affirmat (n. 152).

154. Ex iis quæ in contrarium objiciuntur non nisi unum aut alterum hic afferemus, ceteris in alia loca opportuniora, ubi de salute extra Ecclesiam-aut alibi, remissis. Igitur—

Object. I. Si fides sit necessaria necessitate medii, ergo omnes illi qui fide carent propter hoc damnabuntur : quod, quoad eos saltem qui fidem invincibiliter ignorant, dictu durissimum est, et Deo infinite bono et misericordie indignum videtur.

155. *Resp.* Haec objectio et aliæ similesex falsissimis quibusdam oriuntur opinionibus, quæ, de natura Dei et

creaturæ, mentibus plurium imo, ut puto, fere omnium Protestantium insident. Pauca tantum hic breviter notare licet eorum quæ in materia de Gratia et alibi late, clare, et solide exponunt et demonstrant nostri Theologi.

156. *Primo.* Deus unus est qui est, supremus et omnipotens omnium Dominus, a quo omnis creatura et suum esse habet, et quicquid aliud habeat habet. Nulla est creatura aut esse potest quæ in se et ex se quodcunque jus aut juris umbram habet ad aliquid a Deo accipiendum, etiam in ordine naturali. Ut enim breviter et clare ait *Sylvius*, in 1, 2, Quæst. 109 (quod fusius et clarius docet *Suarez*, in relectione, inter opuscula, de Libertate Divina, D. 2, S. 2, n. 39) :—“Quod si dicas, nomen gratiæ opponi debito, ac per consequens non posse inter gratias recenseri dona naturalia, cum illa videantur esse debita. Resp.....duplex esse debitum. Unum ex merito proveniens quod refertur ad personam, cui propter sua merita aliquid debetur. Alterum secundum conditionem naturæ: puta si dicamus debitum esse homini quod habeat intellectum, voluntatem, et alia quæ ad naturam humanam pertinent. Dona igitur naturalia carent primo debito ; et si non secundo, non quasi Deus creaturæ obligetur, sed quia justum est ut ejus ordinatio impleatur ; quæ quidem talis est, ut talis natura tales habeat conditiones seu proprietates.”

157. Si ita se res habeat in ordine naturali, quanto magis in ordine supernatural! ; ad quem nostra natura, spectata in se et, ut aiunt, pura, nullam habet proportionem, sed tantum capacitatem seu potentiam obedientialem qua, manente natura, ad eum dono gratiæ attolli possit? Nullum enim est, ex parte nostri jus quovis

titillo aut gradu, nulla exigentia natur», ut ad illum finem destinemur aut elevemur. Nullum est, ex parte Dei attributum quod quovis sub conceptu quovis modo, v. g. ex decentia aut congruitate quadam, illum adigat ad nos sic elevandos. Unde jure optimo in Baio et Jansenistis errorem oppositum sæpius damnarunt Summi Pontifices. Justi equidem, secundum doctrinam Catholicam, sua habent merita in ordine supernatural!. Sed hæc merita in gratia et promissione Divina omnia fundantur ; et hæc gratia et promissio ex pura liberalitate Dei procedunt, “cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona,” ut dicit Cone. Trid. Sess. 6, C. 16. Similiter S. Augustinus (Epist. 94), “Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua.”

158. *Secundo.* Multiplicem sensum habere potest, et quidem apud auctores Catholicos habet istud vocabulum *Damnatio*. Damnationis enim non solum diversi gradus esse possunt, sed etiam, ut ita dicam, species. 1°. Damnatio summa in iis est qui plectuntur non solum pœna damni, quæ -visionis beatificæ et omnis felicitatis et gaudii carentiam includit, sed etiam poena sensus, sciz., ignis et aliorum tormentorum. Hæc damnatio gradus infinitos cruciatuum habere potest, ita ut 2°. Adeo levis sit pœna sensus quod iis qui ea afficiuntur melius sit tales esse quam nullos esse. 3°. Damnatio talis esse potest ut omnem pœnam sensus excludat, præter eam quæ intrinseca esset pœnæ damni ; tristitiam scilicet et angorem mentis ob amissum Summum Bonum. 4°. Damnatio talis esse potest quæ etiam illam tristitiam excludit, solo damno relicto, absque ista ejusdem pœna. * 5°. Ultimo, damnatio esse potest in qua non solum amovetur illa

tristitia, sed etiam adest felicitas quædam naturalis, imo et amor Dei naturalis.

159. *Tertio.* Quod attinet ad infantes sine baptismo decedentes, etsi de iis non sit hic quæstio (n. 147), breviter dico—1°. De fide est eos non salvari, et ideo damnationem æternam eo sensu subire quod nunquam regnum caelorum intrabunt, aut visione beatifica fruuntur. 2°. Nihil sive de qualitate sive de quantitate illius damnationis definitum est. Vid. *Perrone*, de Deo Creat, n. 809.

160. Quoad sententias Theologorum : I. Illos infantes pœnam damni pati omnes tenent ; quod quidem sensu Propositionis, n. 159, 1°. de fide est. Eos insuper pœna aliqua sensus ex igne torqueri, quidam non solum ex veteribus sed etiam ex recentioribus tenent, ut *Bellarmino*, de Gratia, P. 1, L. 2, C. 5, Art. 2 ; *Scholliner*, de Peccatis, n. 235, *Ancipites hærent Wiggers*, in 1, 2, Q. 85, A. 6 ; *Habert*, C. 7, § 7, pag. 284 ; *Sardagna*, de Peccat, n. 62. Hæc sententia non est censurata, nec ullomodo improbata.

161. Attamen II. oppositam sententiam, quæ affirmat eos sola pœna damni affici, tenent “communiter Theologi a seculo decimo tertio,” ait *Antoine*, Theol. Dogmat. de Peccat. C. 3, Art. 5, § 4. “Communis in schola” (ait *Vasquez*, in 1, 2, D. 134, n. 6), et ipsi “non solum multo probabilior, sed etiam vera est sententia hos pueros nulla alia pœna quam damni, hoc est beatitudinis privatione puniri.” Hanc opinionem, præter *Vasquez* et *Antoine*, loc. cit. tenent *Suarez*, de Peccat. D. 9, S. 6, n. 3, qui in opere de Mysteriis Vitæ Christi, D. 50, S. 5, dicit quod eam “omnes Theologi docent *Bellarmin.* de Amiss. Grat. L. 6, C. 4, in principio, qui C. 5, Resp.

OE

hb

-F1

Ei:1 \ . JU

H

. !

ad Object 7, dicit cani teneri ab “universa schola Theologorum Lessius, de Perfection. Divin. L. 13, C. 22 : Becanus, Summa, de Peccat. C. 9, Q. 12, n. 4: Herincx, P. 2, D. 6, n. 73 ; Ferraris, sub voce *Peccatum*, n. 69 : Gotti, in 1 part, Tract. 10, Q. 10, Dub. 3 ; Billuart, Diss. 7, A. 6 ; Amort, de Peccato Origin. Q. 3 : Kick, n. 186; Kilber (Theologia Wirceburg.), n. 141 ; Tanner, Q. 10, n. 98, &c. &c. &c. Hęc sententia, non solum ob ipsam auctoritatem extrinsecam Theologorum, sed etiam, et quidem magis, propter graves rationes ab iis allatas (quas apud eos videas), nobis non solum longe probabilior videtur, sed et probabilissima et moraliter čerta.

162. III. An vero non solum ab omni pœna sensus ab extrinseco eximantur illi infantes, sed etiam a poena intrinseca, seu tristitia animæ ex eo quod se videant cœlesti beatitudine æternum privatos. Negant Bellarminus, Kilber, Wiggers, et alii, ut puto, non pauci. Affirmant, præter Bonaventuram, Scotum et alios a Vasquezio citatos, ipse Vasquez, Suarez, Becanus, Billuart, Gotti, Kick, Amort, Lessius, et alii. “Satis probabile est pueros illos ex privatione beatitudinis æternæ non esse tristitia afficiendos. Ita DD. Angelicus, Seraphicus, et Subtilis cum innumeris aliis tum antiquis tum recentioribus,” ait Henno, de Peccat. D. 3, Q. 6, Conci. 2 ; Vasquez, post recensitas varias rationes a diversis auctoribus allatas ad ostendendum quomodo infantes, etsi felicitate supernaturali privati, de ista privatione non tristentur, sic concludit :—“Mihi vero certum

* Verba Innocent. III- (Cap. *Majore**) satis clara videntur:—“Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero pœna peccati est gchennte perpetuo.' cruciatus.”

est, ob rationem superius dictam, infantes decedentes in originali nulla afflictione in alia vita torqueri ; modum autem quo id fieri possit, cum se videant tanto bono beatitudinis expertes, divinæ providentiæ et iudicio reservatum existimo. Ille namque, miris et inexplicabilibus modis, ita disponere potest eorum affectum, ut nullam inde percipiant tristitiam.”

163. IV. Imo non desunt auctores graves qui putant illos infantes, saltem post diem iudicii, naturalem habituros felicitatem, et etiam naturalem Dei cognitionem et amorem. Ita Suarez, Lessius, et quidam alii post S. Thomam, qui dicit quod. Deo “conjunguntur per participationem naturalium bonorum ; et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione.”] Etsi Bellarminus, et post eum Amort, hanc sententiam non solum erroneam sed etiam hæreticalem vocant, eam cum errore Pelagiano confundentes, est tamen ab omni censura aut nota, etiam temeritatis, immunis, ut docet Perrone, de Deo Creat, n. 813, 818, cum *nota*. Anno 1697 quinque Episcopi Galliæ, inter quos Bossuet, literas Innocentio XII. dederunt, in quibus condemnationem deposcebant hujus sententiæ, in opere quodam Card. Sfondrati anno priori edito propugnatae. Responsum

* Quæ est tenons sequentis :—“ Ut ita solum pueri puniantur pœna damni, quæ est privatio beatitudinis, eo quod eorum peccatum in sola privatione gratiæ positum sit. Nam et tristitia undecunque proveniat, est pœna sensus, ut supra diximus, et habet rationem cujusdamin increpationis et tormenti, cujus pueri non ridentur esse digni.”

f In 2 Diet. 33, Q. 2, Ari. 2 ad 5. Valde displicet interpretatio verborum S. Thomæ quam affert Billuart (loc. cit. § 2, l’esp. ad Object. 4); quæ nobis non solum infundata videtur sed et obvii et genuini sensus illorum verborum plane eversiva.

dedit S. Pontifex quod, post laudatum zelum illorum Episcoporum, sic concludit :—“ Officii itaque nostri esse duximus, librum ipsum, resque a vobis in eo adnotatas, insignium Theologorum discussioni committere, ut omnibus maturae considerationis trutina perpensis, quod justum fuerit, subinde decernere valeamus.”* Sine dubio hoc promissum religiosissime præstitit S. Pontifex. Nulla tamen condemnatio sententiæ Sfondrati, vel sub Innocentio XII. vel deinceps usque ad præsentem diem, a Sancta Sede emanavit. Lessius, auctor pius et doctus, sortem illorum infantium, secundum hanc suam sententiam, sic (loc. cit.) describit :—“ Congregabuntur [sciz. infantes illi, in die iudicii ultimi,] in unum locum, seorsim: tamen ab impiis quia ad eorum sortem non pertinent. Videbunt Iudicis majestatem, eumque adorabunt. Audebunt Sanctorum et impiorum congregationem, eorumque bona et prava opera cognoscent. Audient sententiam iudicis in utrosque, sibi que gratulabuntur quod non sint de impiorum numero. Agent Deo gratias quod ante usum rationis abrepti ; quia longe maxima pars eorum, si ad aetatem venisset, in eandem damnationem incidisset, præsertim infidelium filii. Itaque non murmurabunt contra Deum ; sed magnopere se illi obstrictos sentient, quod periculis tantorum malorum exempti fuerint. Excipient et ipsi sententiam Iudicis, sed benignam ; qua etsi a visione Dei et coelesti regno excludentur, tamen statum naturae dignitati congruentem assequentur, quo contenti et laeti, in omnem aeternitatem vivant, et Deum laudent.....Non deerit divina benignitas naturæ ad

* Œuvres de Bossuet (Ed. Liege, 1766), vol. vi., ubi in extenso dantur Epistola quinque Episcoporum et Responsum S. Pontificis.

suam imaginem conditæ, quæ nulla sua propria culpa bonis coelestibus est exclusa, ad obtinenda ea quæ excellentiæ illius naturæ sunt consentanea, ut ipsum læta et contenta in æternum veneretur et laudet. Unde etsi dicantur damnati, quia coelesti gloria ad quam erant conditi, in æternum sunt privati; tamen credibile est, eorum statum longe feliciorum ac lætiorum fore, quam sit alicujus hominis mortalis in hac vita." Hæc ille.

164. De probabilitate hujus ultimæ sententiæ ad sapientiores pronuntiandum remittimus. Duo tantum notare volumus. I. Status illorum infantum, in quacunque sententia Theologorum Catholicorum, status veræ damnationis simpliciter est, et vocari debet. Etsi enim in se spectatus suam habere felicitatem naturalem (ut supra n. 163), diceretur, et comparatus ad statum ceterorum damnatorum esse vere felix; attamen de facto destinati sunt isti infantes ad statum illum summæ beatitudinis de qua scriptum est "Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum 1 Corinth, ii. 9—" Sicut si aulicus propter culpam excludatur ab aula, ad quam ex benevolentia regis fuerat admissus, est ipsi poena et exilium etsi "quod rusticus ad eam non admittatur, non est ipsi poena et miseria, sed tantum carentia boni indebiti Billuart, de Gratia, D. 2, A. 2, Resp. ad Object. 3. Notanda II. propositio 26, Synodi Pistoriensis a Pio VI. in Constitutione *Auctorem Fidei* damnata: "Doctrina quæ velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur,—Perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam

ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpæ et pœnæ, inter regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur pelagiani, —*Falsa, temeraria, in scholas Catholicas injuriosa.*”

165. *Quarto.* Quod attinet ad adultos infideles sciz. negativos, 1°. Deus eorum, sicut et omnium, salutem vere et sincere vult. 2°. Dat illis gratias sufficientes “quibus adjuti possunt adimplere legem naturalem ac vincere difficultates, quæ eidem observantiæ adversantur. 3. His autem gratis si infideles obsequantur, majora eis subsidia adjiciuntur, donec Deus ex gratuita sua misericordia vocet eos ad finem supernaturalem per initium fidei, sive per homines ad hoc missos, sive per Angelum sive interius per se, sive quavis alia ratione, prout ei bonum visum faerit” (Perrone, de Gratia, n. 437 ex doctrina S. Thomæ). 4. Si vero istis gratis male utantur impedimentum ponunt vocationi ad fidem, seseque ista vocatione indigniores positive et voluntarie reddunt; ita ut singulis eorum jure dici potest, “perditio tua ex te est.” 5°. Pro istis peccatis quæ contra legem scriptam in cordibus eorum commiserunt, justo Dei judicio, poenis in altera vita plectentur, secundum eorum reatum culpæ Deo cognitum. G3. Non autem pro ista eorum infidelitate negativa punientur. Etsi enim eorum culpa fit quod non acceperint vocationem ad fidem, cum tamen nullo modo præviderant hunc effectum, sciz. denegationem gratiæ fidei, ex eorum peccatis sequitur, ideo non est ille effectus iis in peccatum imputabilis.

166. *Object. II.* Saltem infidelis negativus qui bonam et puram ducit vitam, servans legem naturalem quatenus ipsi nota est, impossibile est quod damnetur. Ita multi Protestantes.

167. *Resp. Disting.* Eo sensu quod ista vita mere moraliter bona positive disponat, aut jus quodcunque conferat ad salutem aut justificationem : Nego : Eo sensu quod, ex pure libera voluntate Dei salvandi omnes homines, et omnibus concedendi gratias sufficientes, si ista vita moraliter bona duraverit, perducentur ad fidem et justificationem, et, si in his usque ad finem perseveraverint, salvabuntur: Cone. Responsio patet ex dictis n. 165, et ex iis quæ in tractatu de Gratia traduntur.

Sectio Undecima.—DE HÆRESI ET HÆRETICO.

§ 1. Quæ requirantur ad constituendam hæresim et hæreticum ?

168. Peccata contra fidem plura esse possunt v. g. ignorantiae culpabilis dogmatum quæ scire et credere tenemur, &c. Sed hic de peccato Infidelitatis tantum, seu potius de ea specie infidelitatis quæ Hæresis vocatur, tractabimus. De aliis speciebus infidelitatis, necnon et de quibusdam ad infidelitatem in genere spectantibus, vid. Lugo, D. 18, et 19; Suarez, D. 16, et brevius in summariis, Bouvier, in Decal. C. 1, A. 1, § 4; Denis, n. 48, et aliis.

169. Imprimis in memoriam revocanda est distinctio (n. 10) inter fidem pure divinam, et fidem divinam catholicam. De eo solo errore hic loquimur qui fidei Catholicæ opponitur : ideoque omittimus controversias de revelatione privata, i. e. quæ “ non proponitur Ecclesiæ, sed solum fit peculiariter alicui personæ, sive id quod revelatur non cedat in bonum commune Ecclesiæ,

* Hanc fidem divinam quidam (ut Suarez, D. 3, S. 10, n. 3), fidem theologiam vocant: alii vero fidem theologiam cum fide Catholica confundunt. Res est, ut patet, de nomine.

sive etiam in bonum Ecclesiæ cedat” (Benedict. XIV. De Canonizat. Sanctor. L. 3, C. 53, n. 2). Communior et mihi certa theologorum sententia docet 1°. eum cui immediate fit talis revelatio, ita ut certo ipsi constiterit eam a Deo esse, teneri illam credere. In hoc docendo, ait Benedict. XIV. (L. 2, C. 19, n. 12), “concordes sunt Theologi.”* 2°. Quoad alios vero, quibus non fit nec ad quos dirigitur hujusmodi revelatio, f non tenentur eam credere. Etiam de revelationibus (necnon apparitionibus et visionibus) a S. Sede approbatis, scribit idem præclarus Pontifex :—“ Sciendum est approbationem istam nihil aliud esse, quam permissionem, ut edantur ad Fidelium institutionem et utilitatem, post maturum examen ; siquidem hisce revelationibus taliter approbatis, licet non debeat nec possit adhiberi assensus fidei Catholicæ, debetur tamen assensus fidei humanæ juxta prudentiæ regulas, juxta quas nempe tales revelationes sunt probabiles et pie credibiles” (L. 2, C. 32, n. 11). “Ex quibus proinde sequitur, posse aliquem, salva et integra fide Catholica, assensum revelationibus prædictis non præstare, et ab iis recedere, *dummodo id fiat cum debita modestia, non sine ratione, et citra contemptum*” (L. 3, C. 53, n. 15).

170. Quicquid vero sit de revelationibus privatis, certum est quod quæ per eas communicantur non proponantur Ecclesiæ, nec ad depositum fidei Catholicæ per-

◆ Sola controversia movetur de fide qua creditur talis revelatio, sciz. an sit fides Catholica an vero fides alia particularis. Vid. Benedict. XIV. L. 3, C. 53, n. 12 ; Lugo, D. 1, n. 232, &c. et I). 20, n. 34, Ac. ; Henno, D. 1, Q. 3, A. 4, Conci. 3.

f Quoad eos ad quos dirigitur, vid. Lugo, D. 1, n. 230; Suauez, D. 3, S. 10, n. 7.

tineant. “Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et Proprietis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis doctoribus facta.” (S. Tiiom. 1 Pars, Q. 1, A. 8, ad 2). Ideoque, ut jam significavimus, de ea tantum hæresi quæ huic revelationi et fidei Catholicæ opponitur dicturi sumus : et primum de hæresi objective sumpta, seu de ipsa propositione hæreticali ; deinde de hæresi subjective sumpta, seu de homine hæretico.

171. *De Hæresi objective sumpta.* Propositio hæretica seu hæreticalis ea est quæ directe opponitur, oppositione sive contraria sive contradictoria, alicui dogmati quod est de fide Catholica. Ita, quoad rem, Suarez, D. 19, S. 2, n. 3 ; Montagne, p. 446, et Theologi omnes adeo unanimiter, quod paucorum antiquorum dissentientium (si tamen, præterquam in modo loquendi, dissentiant), ratio non est habenda. Duo in prædicta definitione sunt advertenda : 1°. Qualitas oppositionis ad dogma ; 2°. Qualitas dogmatis cui opponitur.

172. Quoad *Primum*, requiritur oppositio directa, i. e. requiritur propositionem hæreticalem dogmati opponi non illative, mediate, interposito ratiocinio, sed illud formaliter et directe negare, et falsum aut saltem non revelatum' (n. 176), affirmare. Sic, propositio “Christus non est homo” hæreticalis est, quia directe opponitur propositioni “Christus est homo,” quæ est de fide. Posito autem quod propositio “Christus est risibilis” non sit de fide, sed tantum conclusio theologica, tunc propositio “Christus non est risibilis” non esset hæreticalis : quia directe non contradicit propositioni “Christus est homo,” sed tantum indirecte, et, mediante hac propositione falsa, sciz., “Omnis homo non est risi-

bik

.n.*

bilis," inducit in negationem propositionis revelatæ, quin tamen illam aperte neget. Virus propositionis hæreticalis, prout ab aliis propositionibus censuratis distinguitur, in hoc consistit quod illa revelationi divinæ immediate opposita verbum Dei diserte neget, fidem ipsam Catholicam, Ecclesiæ ab Apostolis traditam et concreditam, proxime corrumpat : hæc vero ipsa revelata non immediate rejiciunt, sed eo tendunt ut rejiciantur, et ad hoc magis vel minus proxime viam sternunt.

173. Quoad *Secundum*, ut aliquod dogma sit de fide Catholica duo requiruntur : 1°. Quod sit revelatum, et de hoc satis dictum est, n. 22, et seqq.; 2 . Quod ab Ecclesia ut tale proponatur ab omnibus credendum. Sed revera nobis sufficit quod Ecclesia aliquid simpliciter de fide doceat. Hoc enim posito, hæc duo ab omnibus Catholicis tenenda sunt : 1 Dogma sic propositum esse vere revelatum ; 2 . Illud ab omnibus ut tale esse credendum.

174. Hic obiter haud abs re erit notare Ecclesiam multiplici modo proponere—docere—definire ; seu institutionem ejus per varia media fieri, et nobis manifestari. I. Per definitiones Concilii Generalis a S. Pontifice confirmati. II. Per definitiones ipsius S. Pontificis, extra Concilium et per se, universam Ecclesiam ex Cathedra docentis. Hæc definitiones, secundum probatam, communem, imo (saltem extra Galliam 17 et 18 sæculi), universalissimam et hodie ubique receptam et certam sententiam, etiam antequam Ecclesiæ consensus accesserit

* Non omnia quidem ab omnibus *explicite* credenda. Multa enim sunt quæ nec etiam scire tenentur omnes fideles ; sed hæc *implicite* credunt, ut posthac suo loco ostendetur.

rit, infallibiles sunt. III. Per manifestam Ecclesiæ fidem quam universe tenent pastores et prædicant, ita ut si aliquis negaret tale aut tale eo ipso statim ab omnibus haberetur ut hæreticus. LUGO, D. 1, n. 277. IV. Per manifestum sensum S. Scripturæ aut Traditionis similiter universe admissum. Si enim sensus alicujus loci S. Scripturæ aut alicujus Traditionis quibusdam doctioribus et perspicacioribus sit clarus, apud alios vero dubius, hic ipso facto non proponitur ab Ecclesia. Vid. SUAREZ, D. 19, S. 2, n. 8; LUGO, D. 20, n. 56 et seqq.; MONTAGNE, p. 450, &c. Sed de his omnibus latius infra ubi de S. Pontifice et Magisterio Ecclesiæ.

175. Quod autem requiratur propositio Ecclesiæ (n. 173), ut aliquid sit de fide Catholica, et ideo ut error oppositus sit hæreticalis, ex eo sequitur quod totum corpus doctrinæ revelatæ per Christum et Apostolos Ecclesiæ (Ecclesiæ, sciz., docenti, i. e. S. Pontifici ipsi, et S. Pontifici cum Episcopis), et Ecclesiæ *soli* concreditum erat; et Christus eam in hunc finem (præter alios) instituit ut illud corpus doctrinæ in consummationem sæculi incorruptum et integrum custodiret—diffunderet—doceret—proponeret. Ecclesiæ solius est auctoritative

* Veteres Theologi saepius affirmant aliquam doctrinam esse de fido, aut esse hæreticam, erroncam, &c., non per hoc intendentes doctrinam esse de fide Catholica, aut expresse damnatam ut hæreticam, &c., sed ipsis videri esse revelatam, hæreticam, &c. Sic SUAREZ (De Myster. Vitæ Christi, D. 54, Sect. 1), de propositione quæ affirmat Antichristum futurum esse verum hominem, dicit, “*Existimo esse assertionem certam de fide.*” “Id quod unus atque alter Doctor censet esse fidei, non idcirco esse fidei, vel certum fidei dogma, quando Ecclesia nihil super ea re definivit, neque est constans aliorum orthodoxorum sententia, quod hoc ad fidem pertineat.” SILVNRÊ, Resolutions sub vocab. “Sanctorum Invocatio” (vol. v., pag. 084).

definire quid fuerit revelatum, quid non fuerit revelatum, et quid revelato directe aut indirecte opponatur, aut revelato sit quovis modo nocivum aut alienum. Ergo, cuin essentia hæreseos consistat in negatione verbi Dei rite propositi, et cum Ecclesia sit unica proponens divinitus constituta, si illa non proponat, non potest hæresis habere locum.

176. Quicquid sit de disputatione quam n. 21 memoravimus, certum est quod hæreticalis esset non tantum propositio negans veritatem revelatam, sed etiam quæ negaret factum revelationis. *LUGO*, D. 20, n. 32 ; *SUARREZ*, D. 9, S. 3, n. 14. Regulariter enim qui negat factum revelationis negat veritatem propositionis revelatæ. Sed hæc ratio non staret universaliter firma : dari enim posset casus hominis qui v. g. admitteret Moysen fecisse miracula, aut Christum fuisse hominem, et tamen negaret hæc esse revelata. Ideoque dico hominem qui negaret factum revelationis, etsi admitteret veritatem ipsius dogmatis, tamen negando dogma esse revelatum, negat esse credendum de fide et propter divinam auctoritatem, et proinde tenet illud posse rejici, illæsa et non obstante divina auctoritate ; quæ assertio hæreticalis est. Vid. n. 122.

177. *De Hæresi subjective sumpta*, seu de Haeretico. Ut hæreticus ab iis distinguatur qui nunquam professi sunt nomen aut fidem Christi, quales sunt Pagani, Mahometani, &c., et ab iis qui totam fidem Christi penitus abjecerunt, communiter apud auctores supponitur hæreticum profiteri fidem Christianam, et tantum in parte hujus fidei errare. Supposita igitur hac professione fidei Christianæ, hæreticus est qui pertinaciter tenet doctrinam aliquam hæreticalem. Duo ergo necessaria sunt ad hæ-

reticum constituendum : 1°. Quod propositio quam tenet sit hæreticalis ; 2°. Quod cum pertinaciter teneat.

178. De prima conditione jam satis dicta sunt in numeris præcedentibus. Hic tantum solvenda manet quæstiuncula :—An ille sit hæreticus qui tenet propositionem quam credit esse oppositam fidei Catholicæ, quæ tamen non est talis, sed forsan vera, aut etiam ipsa de iisdem v. g. unicam esse personam in Christo ? Rçsp. Sine dubio talis esset coram Deo hæreticus, non propter ipsam propositionem quam putat esse oppositam fidei Ecclesiæ, sed quia, eo animo tenens propositionem illam, aliam quæ hereticalis est tenet, sciz., Ecclesiam in definitionibus fidei errare posse. Vid. Suarez, D. 19, S. 4, n. 17 ; Lugo, D. 20, n. 167.

179. Quoad secundam conditionem, “ Fatentur omnes,” ait Lugo (n. 154), “requiri pertinaciam, ut aliquis hæreticus sit et dicatur.” “ Non enim, ut quisque primum in fide peccavit hæreticus dicendus est ; sed qui Ecclesiæ auctoritate neglecta impias opiniones pertinaci animo tuetur.” Catechism. Cone. Trid. P. 1, C. 10, Q. 1. Vide celebrem textum S. Augustini ap. Perrone, de Vera Relig. Pars 2, n. 265, *not., et* alias auctoritates ap. Suarez, D. 19, S. 3, n. 9, et Mascarell, qui, a Sect. 38, argumenta omnigena congerit ad ostendendam necessitatem hujus conditionis. Ad pertinaciam vero requiritur 1°. Quod auctoritas Ecclesiæ sufficienter proponatur, 2°. Quod sufficienter proponatur Ecclesiam illud dogma docere de fide quod hæreticus negat. Hæc duo *præsuppositive* requiruntur ex parte intellectus. Requiritur 3°. ex parte voluntatis, quod sit deliberata resistentia Ecclesiæ sic docenti, quæ resistentia fieri potest, vel negando auctoritatem Ecclesiæ (n. 178), vel negando dogma esse

ab Ecclesia definitum de fide (n. 176), vel ipsum dogma negando. Hic actus voluntatis deliberatus pertinaciam *formaliter* constituit. Sed hæc omnia paulo fusius exponenda sunt.

180. 1°. Per sufficientem propositionem auctoritatis Ecclesiæ intelligitur ea propositio qua ita probatur et suadetur hanc Ecclesiam esse veram, et habere auctoritatem definiendi, ut homo vi illius propositionis obligetur ad credendum. Nullomodo autem requiritur ut ille his argumentis convictus actu credat auctoritatem Ecclesiæ: si enim sufficienter proponatur auctoritas, puræ pertinaciæ est illam rejicere. Hinc non sequitur aliquem non esse hæreticum ex eo quod, rejiciens doctrinam Catholicam, non credat Ecclesiam Catholicam habere auctoritatem definiendi. Ratio autem quarenam requiratur hæc propositio auctoritatis Ecclesiæ est, quia ille dici non potest sese opponere auctoritati et erga eam pertinax esse quam nescit: sicut vocari non potest inobsequens alicui superiori quem nescit esse superiorem. Ille vero nescit Ecclesiam habere auctoritatem cui hoc non fuit sufficienter propositum.

181. Ponitur autem auctoritas Ecclesiæ, cui resisti debet, non Dei; quia, in materia fidei Catholice, Ecclesia est organum ab ipso Deo constitutum inter ipsum et nos. Per Ecclesiam Deus nobis loquitur, et omnes veritates revelatas Catholicas communicat. Qui ergo contra auctoritatem Ecclesiæ sibi sufficienter propositam pertinax est, contra ipsum Deum pertinax est; nec opus est ut ipsius Dei auctoritatem formaliter et expresse rejiciat, et illum in actu signato faciat mendacem. Vid. S c a r e z,

182. 2'. Definitiones Ecclesiæ variis modis in mentes

fideliū derivantur, de quibus infra suo loco. Ad pertinaciam autem requiri cognitionem definitionis Ecclesiæ ex principio rationis jam datæ constat. Ille enim dici non potest resistere præcepto aut contradicere dicto superioris, cui tale præceptum aut dictum non fuit sufficienter intimatum.

183. 3°. Posita sufficienti cognitione auctoritatis et definitionis Ecclesiæ, requiritur actus deliberatus oppositionis, de quo supra, n. 179. Alioquin enim non adesset peccatum grave, ad quod, præter gravitatem materiæ, requiritur non tantum plena advertentia ad malitiam actus, sed etiam plenus et deliberatus consensus voluntatis. Peccatum vero hoc, sicut et alia peccata interna, non indiget mora temporis ut committatur, sed eo spatio seu instanti temporis consummatur quod sufficit ad prædictam advertentiam et consensum. Neque parvitatem materiæ admittit, sed semper grave peccatum est—grave, ut aiunt, ex toto genere suo—imo gravissimum, quia semper gravissimam irrogat injuriam auctoritati Dei. Ille autem qui errorem aliquem hæreticalem tenet, etiam plena deliberatione, nesciens invincibiliter auctoritatem Ecclesiæ, aut admittens hanc auctoritatem, nesciens tamen invincibiliter definitionem Ecclesiæ, non est hæreticus, nec, per se, ullomodo peccat, modo sincere et ex corde paratus sit se iudicio Ecclesiæ submittere : pertinacia enim caret. Celebre est effatum :—“Errare possum, hæreticus esse nolo.” Talis ad summum vocaretur hæreticus *materialis*, per oppositionem hæretico proprie dicto qui *formalis* vocatur.

n-F'i

184. Quoniam vero, secundum doctrinam in Morali certissimam et apud omnes probatam, peccatum non solum directe sed indirecte volitum sit, et ignorantia detur

non tantum involuntaria sed voluntaria, et hæc a peccato nullomodo excuset, hinc exurgit quæstio, An sit hæreticus qui errorem hæreticalem ex ignorantia vincibili et culpabili tenet? Seu, aliis verbis, an ignorantia culpabilis excuset ab hæresi? Resp. I. Ignorantia invincibilis, ex dictis, excusat II. Ignorantia venialiter tantum culpabilis excusat a gravi. III. Ignorantia graviter culpabilis non excusat a gravi: ideoque qui, ex ignorantia vincibili graviter culpabili, errorem hæreticalem tenet reus est gravis peccati, et quidem contra fidem. LUGO, n. 182: SALUANT. Theol. Moral. Tract. 10, de Censuris, C. 4, n. 50.

185. Quæstio ergo tota est an ignorantia graviter culpabilis excuset ab *hæresi*? Resp. IV. Ignorantia vincibilis, sive sit simpliciter vincibilis, sive etiam supina et crassa, excusat ab hæresi. Ita communis et, ut aiunt SALMANTIC. (loc. cit.), certa. Ratio est quia, ex dictis, ad formalem hæresim requiritur propositio definitionis Ecclesiæ. Jamvero taliter erranti non est facta talis propositio: eam enim penitus nescit, alioquin enim non laboraret ignorantia et esset extra casum. Ignorantia quidem ipsi imputabilis est, voluntaria, et graviter culpabilis: ideoque peccat ignorando definitionem Ecclesiæ circa materiam in qua errat, et exponendo se periculo contradicendi huic definitioni. Sed exinde non sequitur illum peccare hanc definitionem formaliter rejiciendo; neque formaliter eam rejicit, sed contra paratus est se submittere Ecclesiæ, et definitionem semel cognitam admittere; quæ animi affectio cum ignorantia etiam supina et crassa bene consistere potest.

186. Neque contra hoc dicatur quod in aliis peccatis v. g. homicidiif peccata ex ignorantia culpabili et peccata

scienter commissa eandem habere malitiam moralem, nec differre specie sed tantum in circumstantia aggravanti scientiæ. Etenim 1°. *Lugo*, n. 177, &c., et ante eum alii, quos, tacitis nominibus, indicat *Suarez*, S. 3, n. 24, concedunt peccatum errantis ex ignorantia vincibili non differre specie a peccato nudæ hæreseos, sed posterius a priori differre “ numero propter circumstantiam scientiæ, quæ auget gravitatem intra eandem speciem, et ratione illius circumstantiæ, et majoris gravitatis affert denominationem hæretici, et inducit poenas hæreticorum, quas sine illa circumstantia non induceret.” Ita *Lugo*, *ibid*, qui hanc sententiam, more suo, acutissime contra *Hurtado* tuetur. Sed 2°. Communior, ut puto, sententia tenet hæc duo specie differre, et specialem esse deformitatem et malitiam in hæresi cum scientia. Quoad alia peccata, non requiritur scientia tanquam circumstantia ex parte objecti, quæ tamen ex dictis requiritur in hæresi. *Salmant.* loc. cit. Hanc litem componere nostri non est, nec possumus. Notandum tantum est 1°. In foro Ecclesiæ, et quoad censuras ecclesiasticas, non censetur hæreticus qui ex ignorantia vincibili peccat. 2°. Quoad forum sacramentale, quicquid dicatur de obligatione in genere confitendi circumstantias non mutantem speciem, confitenda est circumstantia scientiæ in hæresi, propter reservationem et censuram. 3°. Quoad forum Dei, patet quæstionem esse parvi momenti.

187. Resp. V. Quoad ignorantiam affectatam non ita concordēs sunt auctores, sed adhuc multo communior et, ob rationem datam n. 185, probabilior est sententia affirmans eam excusare ab hæresi. Nisi tamen, communiter addunt auctores, ignorantia affectata et simul concomitans sit. Hæc limitatio indiget expositione.

Dico ergo, si per ignorantiam concomitantem intelligatur errantem ita esse, actuali aut virtuali affectu, dispositum, quod suum teneret errorem etiamsi sciret Ecclesiam illum errorem ut hæreticalem reprobasse ; hic certo esset hæreticus, sed, ut monent *Saluanti*. n. 51, non tam propter errorem illum particularem (piam propter formalem rejectionem auctoritatis Ecclesiæ : vid. supra, n. 178. Similiter qui affectat ignorantiam ut liberius erret, jam novit se errare et hæreticus est. Qui vero nunquam actu proposuit, in quacunque hypothesisi, resistere Ecclesiæ, et ideo non habet talem affectum resistendi sive actualem sive virtualem, etsi affectum hujusmodi interpretativum seu, ut alii vocant, habitualem habeat, non est hæreticus. *Mascarelli*. S. 39, n. 12, &c. Consulantur Theologi in Tractatu de Pœnitentia, ubi de proposito ad contritionem requisito.

188. Hæc de ignorantia, nunc autem de dubio queritur, An dubius in fide hæreticus sit ? R^csp. quaestionem de iis solis movetur qui jam fideles sunt, aut quibus sufficienter proposita est fides: de ceteris “enim dubitare interim licet, donec instruantur, et argumenta sive credibilitatem nostræ fidei recte apprehendant.”—(*Layman*, L. 2, T. 1, C. 13, n. 5.) Omne dubium vere et proprie dictum necessario includit actum mentis positi-

* “Quod supra dictum est de ignorantia, intelligendum est tantum de iis, qui alioquin, præter unum vel alterum articulum, credunt fidem Catholicæ atque Romanæ Ecclesiæ esse veram fidem, eamque profitentur. Num illi qui alienam ab Ecclesia Catholica fidem tenent, v. g. Lutheran., et ex crassa vel affectata ignorantia infallibilem Ecclesiæ auctoritatem non agnoscunt, aliaque dogmata Catholica non credunt, pro hæreticis reputari, et propterea ecclesiasticis censuris subjecti esse conseri debent.”—*Schmalzgeber*, L. 5, Tit. ", n. 15.

viun ; et dubium de veritate alicujus propositionis nihil aliud est aut esse potest quam iudicium (magis aut minus firmum) mentis pronunciantis illam propositionem esse incertam, forsam veram, forsam falsam. Si enim mihi proposita aliqua propositione, nec assentiam nec dissentiam, non (quia iudico illam esse incertam, sed quia nunc ad alia volo mentem convertere, aut ex alio quovis motivo excludente præfatum iudicium, quomodo dici potest me de veritate illius propositionis dubitare? Ille actus meus vocari potest carentia aut cessatio attentionis, carentia iudicii, aut suspensio iudicii aut alio quodam nomine, sed non dubium. Ille non placet illa distinctio dubii in positivum et negativum, cujus posterioris exempla dat Billuart (D. 5, A. 3, § 1), dicendo illum dubio negativo dubitare qui “suspendit præcise iudicium sine ullo positivo actu, quia v. g. vult nunc aliis attendere, vel non vult in re tanta modo defatigare caput, vel vult inquirere motiva commodius et suavius assentiendi, aut propter similia motiva.” Displicet hæc distinctio quia veram verbi significationem depravat, et in responsiones implicatas imo et falsas inducit. Eam, præter Billuart, habent Salmant. n. 56 ; Becanus, *Summa*, P. 2, O. 14, Q. 2, n. 8, et quidam alii, dicentes dubitantes negative non esse hæreticum : an vero omnes illi idem per dubium negativum significant mihi non constat. Canus (L. 12, C. 8), citatur a Salmantic. quasi eandem

* Idem non est dicendum de simili distinctione dubii positivi et negativi in Morali. Prius fundatur in motivo probabili ex utraque parte; posterius nullo nititur motivo saltem rationabili. Sed in utroquo casu adest dubium verum, et (pii alterutrum dubium habet vere dubitat.

cum illis sententiam tenens. Negat simpliciter dubium in fide esse hæreticum, et tamen admittit illum

H

specie infidelitatis quæ hæresis vocatur. Gregorio de Valentia (Q. 11, P. 1), idem Canus tantum “*videtur sequi*” opinionem istam quæ ei vulgo tribuitur. Sed. quicquid sit de his.

189- I. “Absolute dicendum censeo, omnem dubitationem deliberatam, et pertinacem in materia fidei et in homine Christiano esse hæresim. Hæc est receptissima sententia.” Ita Suarez (S. 4, n. 10), qui, præ quovis alio quem vidimus Theologo, hanc materiam solide et clare tractat. Secundum enim definitionem Stephani Pontificis (cap. 1, de Hæret.), “Dubius in fide infidelis est.” Alia autem non est species infidelitatis, præter hæresim, ad quam revocari potest. Ratio vero assertio- nis est, quia qui dubitat de aliquo articulo fidei, etsi non judicet illum esse falsum, judicat illum posse esse falsum ; et hoc est aperte hæreticale.

190. II. Si ex alio quovis motivo, nullomodo vel negationem dogmatis aut dubium de eo involvente; assensum cohibeam, non sum hæreticus : v. g. si ex tædio aut quia aliter occupatus teneor. Hæc vero assensus cohib- itio potest esse alio modo pccaminosa, ùt si aliquis ita agat ut, non territus cogitatione veritatum divinarum, liberius cupiditatibus indulgent : potest esse pccaminosa etiam peccato contra fidem, ut si hic et nunc urgeat præ- ceptum fidei. Potest etiam omni culpa carere, ut si quis graviter tentatus contra fidem, alio avertat mentem, ut sic efficacius tentationem superet. Vix opus est notare dubia omnino involuntaria non esse pccaminosa.

§ 2. De Convenientia seu Consociatione Hæreseos cum Fide vera
IN EODEM SUBJECTO.

191. Quæstio non est de hæretico materiali, neque, ex dictis, esse potest, sed de solo formali. De hoc hæc quæri possunt I. An hæreticus, rejecta auctoritate Ecclesia?, possit corpus doctrinæ vel a scipso efformatum, vel jam in aliqua secta, in qua natus est aut cui se jungit, professum, fide firma seu assensu rationabiliter certo credere? II. An possint habitus fidei et habitus hæreseos, seu cujusvis infidelitatis, simul in eodem subjecto existere? III. An quodvis peccatum hæreseos expellat *habitum* fidei? IV. An saltem possit hæreticus elicere *actum* fidei divinæ in hoc vel illud dogma particulare, v. g. divinitatem Christi?

192. Ad *Primam* quæstionem negative omnino respondendum est: ita ut, in casu dato, hæreticus non potest non solum fidem divinam, sed nec etiam quamvis aliam fidem firmam, sed tantum opinionem aut obstinationem caecam et irrationabilem habere; prout posthac suo loco ostendemus. Interim vid. Perrone, de Relig. P. 2, n. 171, &c.

193. Sensus *Secundæ* quæstionis est, An hæreticus conversus, eo ipso quod jam acceperit habitum fidei supernaturalis, amiserit penitus habitum quem antea habuerat seu inclinationem ad hæresim? Dixi *penitus*, quia sine dubio per acceptam gratiam fidei mala illa inclinatio infirmatur et ad deminutionem tendit. Ad Quæstionem respondendum negative, contra Pannes et alios quosdam. Quicquid enim dicatur de consociatione habituum naturalium oppositorum, certe habitus fidei non magis quam ceteri habitus infusi supernaturales extin-

?M{Γ5
(11; 11, 1)

guit priorem habitum contrarium naturalem, Ceteri autem habitus infusi non extinguunt priorem habitum contrarium. Imo “ experientia ostendit, si aliquis post diuturnam hæresim, et habitum vitiosum intensum convertatur ad fidem, non semper perdere totaliter inclinationem et propensionem antiquam ad hæresim : imo ideo infideles denuo ad fidem conversi non facile ad ordines vel alia ecclesiastica mimera statim admittuntur, quia de eorum perseverantia timetur, propter propensionem et habitum nondum omnino abolitum.”—LUGO, D. 17, n. 51.

194. Quoad *Tertiam* Quæstionem, Etsi habitus acquisiti non necessario perdantur per unum aut alterum actum contrarium, v. g. habitus temperantiæ per unum peccatum grave intemperantiæ ; attamen omnino tenendum est per quemvis actum hæreseos prorsus amitti habitum fidei. Ita, contra Durandum, docent omnes Theologi ; inter quos solum dissidium est de modo quo expellitur iste habitus, an sciz., physice et ex natura rei, an per positivum decretum Dei, quam controversiam rite intellectam putat LUGO (n. 62) esse fere de vocibus. “ Hæc doctrina,” ait SUAREZ, “est ita certa ut sine errore negari jam non possit.” Argumentum ex Concilio Trident. bene explicat et defendit LUGO, n. 54, &c. Non est autem opus contra Protestantes disserere de habitibus infusis, de quibus videntur nihil scire et nunquam loqui.

195. Quoad *Quartam* Quæstionem, I. Fides esse potest vel supernaturalis vel naturalis. Quid sit fides supernaturalis ex dictis in hac Disput. et in materia de Gratia satis constat. Fides naturalis talis vocatur vel quia fit sine gratia vel quia habet pro motivo non Divi-

nam auctoritatem sed aliud ; et hoc aliud multiplex esse potest, et rationabile et irrationabile ; ut si quis credat propter argumentum intrinsecum (n. 5), v. g. Deum existere, propter argumenta philosophica ; aut si credat ob auctoritatem humanam, vel quia ita tenet secta cujus membrum est, vel quia ita ipse vult, &c. II. Fides iterum dividitur in perfectam et imperfectam, quæ divisio, secundum loquendi modum quorundam Theologorum, parum differt a priori. Perfecta fides ea est quam habent omnes vere fideles, quæque ipsa omnibus vestitur conditionibus in hac Disput. recensitis tanquam ad veram theologiam salutarem fidem necessariis. Hæc fides ergo non solum firma est et ob debitum motivum, et omnia credit a Deo revelata riteque proposita, sed etiam præbet assensum appetitive summum et a pia ortum voluntate intellectum Divinæ auctoritati absolute subijciendi, et omnia quæcunque acceptandi a Deo revelata et sufficienter proposita. Fides autem imperfecta in eo esse dicitur qui non dat assensum appetitive summum, ideoque, etsi credat quædam ob divinam auctoritatem, alia tamen, etsi sufficienter proposita, propter specialem aliquam difficultatem credendi, aut præjudicia aut aliquam aliam repugnantiam, rejicit. Sic Protestans credit Christum esse Deum, quia revelatur in verbo Dei, negat tamen alia dogmata Catholica sufficienter proposita ut in eodem verbo revelata.

196. Triplici modo potest hæreticus negare dogma sufficienter propositum : 1°. Admittendo dogma esse revelatum, sed negando divinam auctoritatem ; 2°. Admittendo dogma esse revelatum, illud tamen negando (de actu negationis interno loquimur) non quia negat divinam auctoritatem, sed vel quia apud se resolvit Deum

nil curare an credat vel neget, vel quia dogma opponitur suis cupiditatibus, vel propter aliud simile motivum ; 3'. Admittendo divinam auctoritatem et obligationem credendi revelata, sed negando tale aut tale dogma esse revelatum, etsi ut tale sibi sufficienter propositum. Negantem primo aut secundo modo nemo dicit posse credere quavis fide, perfecta aut imperfecta.

197. De negante tertio modo duplex est quæstio: 1°. An qui rejicit aliquod dogma sufficienter propositum possit fide vera et perfecta credere quodvis aliud dogma ? 2°. Posita responsione negativa, an saltem possit credere fide imperfecta ?

198. *Priinæ* quæstioni omnes Theologi, contra præfatum Durandum, respondent negative, sciz., docent hæreticum non solum fidei habitu carere, sed non posse etiam actum fidei veræ elicere, et dogmata quæ actu credit non credere actu fidei divinæ veræ. Vid. infra η. 200, &c.

199- *Secundæ* quæstioni affirmative respondent *Viva*, D. 4, Q. 3, n. 5 (qui pro se citat *Ripaldam* et *Lugonem*, sed, quoad *Lugonem*, male, ut nobis videtur) ; *Lumbier*, n. 949 ; *Kilber*, n. 222 (qui dicit hunc assensum esse probabiliter etiam supernaturalem) ; ceteris omnibus quos legimus vel de hac quæstione tacentibus, vel negative respondentibus. Putamus dissidium esse inultum de nomine. Admittit enim *Kilber*, hunc “ assensum imperfectum et minus firmum non esse fidem *simpliciter* talem quæ sufficiat ad justificationem, hominemque de-

* Solos quem vidimus auctor qui ad oppositam sententiam inclinare videtur, *Lstius* (in 3 lib. Dist. 23, § 13), obscure loquitur, neque verum sensum quæstionis præ mente habuisse videtur.

nominat fidelem” (n. 220). *Lumbier* dicit hunc assensum “solum apparenter, vel solum imperfectissime et impropriissime posse dici fidem divinam objectivam.” Equidem haereticus potest, etiam ex principio seu motu gratiæ, aliquid credere v. g. realem præsentiam Christi in Eucharistia, quia videt illud tam aperte in S. Scriptura contineri et a S. Patribus prædicari, etsi alia sufficienter proposita adhuc rejiciat; et credendum est Deum illum ad hunc assensum tanquam ad aliquid præambulum et prædispositivum ad fidem movere, ut ultimo, si gratiis bene utatur, ad veram et perfectam fidem et veram Ecclesiam ducatur. Sed assensus iste non est nec, nisi per manifestam usus loquendi violationem, vocari potest fides divina sive perfecta sive imperfecta; non est enim ipsa fides, sed gressus quidam ad fidem. Sed quicquid de hoc dicatur,—

200. Propositio quæ affirmat haereticum non posse verum et perfectum elicere actum fidei divinæ in aliquod dogma, omnino certa est ex consensu Theologorum, et

* Hac nostra ætate, in Anglia præsertim, innumeri sunt Protestantes docti qui,volvendo Concilia, Patres, et alia monumenta antiqua, clare viderunt multa dogmata Catholica (etsi forsane ea non isto plenario sensu Catholico intellexerunt aut ibi viderunt) fuisse “semper ubique et ab omnibus” credita; et hoc non solum vident sed palam suis scriptis professi sunt. Ita, de reali præsentia, de Apostolica successione, de potestate absolvendi, &c., Doctor *Pusey*: ita de Primatu Romani Pontificis D. *Allies*; ita de vera idea unitatis Ecclesiae, &c., D. *Newman*. Horum multi oculos suos magis magisque indies lumini veritatis occurrenti aperientes, ultimo ad ineluctabilem devenerunt conclusionem Ecclesiam Catholicam esse unice veram, eamque amplexi sunt. Ita iidem *Newman*, *Allies*, cum ingenti multitudine hominum a quibus usque ad præsentem diem “regnum coelorum vim patitur” (Matth. xi. 12). Do his dici potest, forsane et debet, eos gratia adjutos fuisse

i 1
f 2
7
MI

præsertim ex Concilio Trid. S. 6, C. 15 :—“Asserendum est, non modo infidelitate, *per quam et ipsa fides amittitur*, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.” Si hæreticus posset elicere actum fidei verum, recte non potuit affirmari simpliciter et absolute per infidelitatem amitti ipsam fidem : fides enim non amitteretur quoad ea dogmata quæ credit hæreticus v. g. quoad dogma Divinitatis Christi quod crederet Protestant.

201. Probatur Propositio, contra Protestantes, breviter. *Primo*, ex S. Scriptura, argumento valde probabili ; ex eo quod S. Scriptura loquatur de hæresi tanquam absoluta et omnimoda amissione fidei. “Hoc præceptum commendo tibi . . . ut milites . . . habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, *circa fidem naufragaverunt*, ex quibus est Hymenæus et Alexander:” 1 Tim. i. 18, &c. “Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes *circa fidem exciderunt*.” ibid. vi. 20, &c. “Profana autem et vanilo-

ad assensum præbendum istis veritatibus quas, adhuc hæretici et ante fidem perfectam habitam, crediderunt. Etiam de aliis qui, ut Pusey, Keble, et alii, cum tam prope ad nos aliquando accessissent ut fere nostri esse videbantur, deinde in abyssum iterum delapsi sunt, idem, saltem ad tempus retrogressus, dicendum videtur. Gratia acti veritates particulares crediderunt ; deinde, aut diabolo aut camis aut mundo aut omnibus simul cedentes, gratiæ restiterunt, et audientes vocem amantissimi Patris suavissime vocantis, corda obturarunt (Psalm, xciv.), et eorum “fiunt novissima..... pejora prioribus” (Matth. xii. 45).

“O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? . . . Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini?” (Galat. iii. 1, 3).

quia devita . . . ex quibus est Ilymenæus et Philetus, qui *a veritate exciderunt*, dicentes resurrectionem esse jam factam 2 Tim. ii. 16, &c. “ Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est, doctrinae, superbus est, *nihil sciens*,” &c. : 1 Tim. vi. 3, &c.

202. In *Primo* textu, qui in hæresim lapsi sunt declarantur fidei naufragium fecisse. Qua locutione significatur eos fidem omnino amississe : sicut, si dicantur mercatores simpliciter naufragium bonorum talium aut talium fecisse, significatur eos omnia bona talia aut talia in naufragio amississe. Hæreticis ergo, quoniam naufragium fidei faciunt, nulla manet fides sed tota deperditur. Sed si maneret fides in dogmata quæ adhuc credunt, non esset verum dicere fidem iis nullam manere sed totam deperdi. In *Secundo* textu et *Tertio*, loquitur Apostolus de hæreticis relate ad fidem, tanquam ab ea simpliciter excidentes, declinantes, non amplius eam ut sibi consociatam habentes, sed ab ea alienatos. Sed hoc non esset verum si adhuc fidem divinam perfectam in aliqua dogmata retinerent. Adverte quod, cum Apostolus dicebat eos quoad tale aut tale dogma errasse, absolute, simpliciter et absque restrictione subjungit eos a fide aut circa fidem, i. e. quoad fidem, excidisse ; quasi hic totalis lapsus a fide esset essentialis effectus erroris hæreticalis in aliquo particulari dogmate : quasi diceret, errarunt hæreticaliter in tali dogmate, hoc ipso ergo totam fidem amiserunt. In *Quarto* textu, plane loquitur non de scientia mundana aut quavis pure naturali, sed de ea quæ

* “ Ἰκρί τῆς πίστεως ἠστοχίσαν, *a vera religione defecerunt ; aberrarunt a scopo religionis.*’ —Kosenmüller, in 1 Tim. λ i. 21.

tendit ad salutem i. e. de scientia fidei. Dicendo ergo hæreticum *nihil* scire, dicit eum nihil credere fide vera divina—quod enim aliqua credebat et credit, alia quaedam fide, manifestum est.

203. Neque *objiciatur* : Γ. Contra argumenta in genere ; S. Paulum loqui de apostatis qui totam deseruerunt fidem Christianam ; sed non sequitur ex eo quod fides sit talibus impossibilis, ergo idem dicendum de hæreticis qui plura tenent dogmata Christiana. 2°. Contra tria priora argumenta. Non dicit S. Paulus hæreticos naufragasse aut excidisse *a* fide sed *circa* fidem ; ut notat Estius in 1 Tim. i. 19- 3°. Contra primum argumentum. “Comparatio hæreticorum cum naufragantibus non est adæquata, quandoquidem alias illi destituerentur omni gratia et illustratione etiam ad resipiscendum aut ad eliciendum quodcunque bonum : consistit itaque hoc naufragium in jactura omnium habituum superoaturalium, ac difficultate appellendi ad salutis portum ; quæ in hæreticis major est ac in Catholicis.” Ita Kilber, (n. 224), etsi non contra præsentem propositionem, sed in defensionem suæ opinionis supra relatæ, n. 199-

204. *Ad Primam* object. *Resp.* S. Paulum loqui de hæreticis qui non rejecerunt totam doctrinam Christianam patet : 1°. Ex eo quod proculdubio istam totalem apostasiam, si contigisset, vel plane significaret vel saltem aliquo modo insinuaret. 2°. Diserte declarat particulares materias in quibus isti hæretici errarunt, quidam “falsi nominis scientias promittentes,” alii “dicentes resurrectionem esse jam factam,” alii sanis sermonibus, &c., non acquiescentes. *Ad Secundam.* Vocabula “circa fidem” idem significant ac “in materia fidei,” et ab Apostolo usurpantur ad significandum id in quo aut

circa quod factum est naufragium et decessio. Ad *Tertiam*. Auctor bonus hic sequitur methodum interpretandi malam, quam adversarii nostri communiter sequuntur, sciz., in locum textus substituendo suam glossam. Comparatio hæreticorum cum naufragantibus adæquata est quatenus eam instituit Apostolus, sciz., quoad fidem, “*circafidem* naufragaverunt.” Quoad alia vero (præter ea quæ in naufragio fidei necessario perduntur, v. g. gratia sanctificans) an naufragaverint necne non dicit neque insinuat Apostolus. Habere possunt istas alias gratias et illustrationes, etsi fidem totaliter amiserint.

205. *Secundo*, probatur ex SS. Patribus. Docetæ a S. Ignatio (Ep. ad Trail. § 10), vocantur “atheï hoc est infideles.” S. Irenæus (Contra Hæres. L. 1, Præf. n. 1), descriptionem dat hæreticorum “non discernere volentium falsum a vero et in alio loco (L. 4, Præf. n. 3), dicit quod “nihil sit apud eos sine blasphemia.” Expressius adhuc S. Augustinus Manichæos alloquens (Contra Faust. L. 17, C. 3) :—“Aperte dicite non vos credere Christi Evangelio : nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potiusquam Evangelio creditis.”

206. *Tertio*, probatur ex appellationibus et titulis quibus, tum in S. Scriptura tum in operibus Patrum, insigniuntur hæretici. In S. Scriptura hæretici appellantur “ministri Satanæ—Antichrist!—arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ—inimici crucisChristi—reprobi circa fidem” (2 Cor. xi. 15 ; 1 Joann, ii. 18 ; Jud. 12 ; Philipp, iii. 18 ; 2 Tim. iii. 8), et aliis hujusmodi. Apud Patres vocantur filii Satanæ—turba malitiæ—progenies maledicta—sacrilegi—blasphemi—impii—Antichrist!—hostes Dei—atheï (Ignatius, Polycarpus, Cy-

prianus, Augustinus, Irenæus, Justinus, Cyrillus HierosoL, &c.), et aliis similibus. Janjvero incredibile est eos qui, præsertim propter ipsam hæresim pertinacem, tales sunt, posse, manentes tales, manentes hæretîcos formales, ex pio affectu se Divinæ auctoritati subjiciendi, fide firma et appetiative summa quodvis dogma credere.

207. Neque contra hoc argumentum *objiciatur* et S. Scripturam et Patres loqui non de omni aut aliquo hæretico, sed de iis qui penitus rejecerunt Christum. Non sequitur ergo v. g. Protestantes, præsertim qui ex illis propius ad nos accedunt, non posse quæ credunt, fide divina credere.

208. *Besp.* L S- Scriptura et Patres loquuntur de hæreticis qui tempore Apostolorum et sequentibus seculis vixerunt Illi autem non rejecerunt religionem Christianam ut falsam et inventum humanum, sed dogmata ejus depravarunt ; ut constat ex eo quod particulares eorum errores et in S. Scriptura et in operibus SS. Patrum narrantur. II. Ista conclusio, sciz., nullum Protestantem posse elicere actum fidei, nostra non est. Dicimus formalem hæreticum, L e. qui negat aliquod revelatu: ut sic sibi sufficienter propositum, non posse de aliquo alio dogmate elicere actum fidei divinæ. Equide sectæ Protestanticæ omnes sine dubio hæreticales sunt : quod autem omnes individui Protestantes sint hæretici formales nul- lomodo affirmamus aut affirmare volumus. Imo haud pauci Theologi nostri graves censent multos, præsertim ex indoctis et ruricolis, qui non nisi ex libellis suis et concionibus ministellorum suorum mendacibus de religione Catholica et de Romano Pontifice dicteria venenata et

* Vid. textus Patrum in extenso apud Passaglia, L. 3, n. 190, &c.

calumniarum monstra audierunt, non solum in bona fide sed etiam in ignorantia invincibili versari. Ita Reiffenstuel, Jus Canon. L. 5, T. 7, n. 13; Schmalzgr. *ibid.* n. 120; Tanner, de Fide, Q. 8, n. 10; Sporer, T. 2, C. 3, n. 14, cum aliis multis ex veteribus. In hanc sententiam inclinatur Perrone, "Protestantisme: Controverses a l'usage du Peuple," 15^{cm} Leçon (Gallic, vers.).

209. *Quarto*, probatur ex Ratione Theologica. Fides divina vera et salutaris debet esse appretiative summa, et cum voluntate se omnino et absolute subjiciendi divinæ auctoritati, secundum verba "Si credis ex toto corde" (Act. viii. 37): ergo cum voluntate semper acceptandi divinum eloquium sufficienter propositum. Quomodo enim dici potest v. g. Joannem summa et absoluta reverentia prosequi veracitatem Petri, si careat voluntate credendi aliquam propositionem Petri, etsi claris et certis signis constiterit illam esse revera propositionem Petri? Atqui ista voluntas semper acceptandi divinum eloquium

* Et nos ipsi olim in eandem inclinavimus sententiam. Sed, post editam Allocutionem a SS. Dom. Pio IX. Episcopis Romæ occasione definitionis Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae congregatis, die 9 Decemb. 1854, habitam, ab hujusmodi conjecturis abstinendum esse censemus. Verba Supremi Doctoris quæ ad præsentem spectant materiam hæc sunt:—"Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut hujusmodi ignorantiae [sciz. invincibilis] designare limites queat juxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto quam arcto pulcroque nexu miseratio ac justitia divina copulentur; quamdiu vero in tends versamur mortali hac gravati mole quæ habet animam firmissime teneamus ex doctrina Catholica unum Deum osse, unam fidem, unum baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est."—*Acta Pii IX.*, p. 626-7.

Haud inutiliter hic exscribendum puto decretum quoddam S. Inqui-

sufficenter propositum plane stare non potest cum alia voluntate rejiciendi aliquid particulare eloquium divinum sufficienter propositum ; quæ voluntas est in hæretico. Ergo fides non potest esse in hæretico.

210. Neque contra hoc dicatur, istam voluntatem pravam rejiciendi aliquid particulare eloquium divinum sufficienter propositum non existere in omni hæretico ; saltem non in Protestantibus veris, qui omnes ex corde affirmant quodcunque sufficienter propositum ut revelatum esse omnino acceptandum. Hi ergo errant non in eo quod habent voluntatem negandi aliquod revelatum ; sed ex errore facti, in eo quod putent bona fide tale aut tale dogma, v. g. Primatum B. Petri et successorum, non esse revelatum.

211. *Besp.* Quæstio est vel de hæretico materiali vel de formali. Si I. Objectio est extra rem ; non enim loquimur de hæretico materiali. “Et quidem ego sane fateor eum, cui non proponitur sufficienter auctoritas

sitionis, 19 April, 1645, quod internotas inveni editioni Avenionensi Theol. Moralis P. Antoine (6 voh, 1818) adjectas. “Contra P. N. [parochum quemdam] qui Joannem hæreticum Calvinistam nulla præcedente auctoritate ab hæresi absolvit, eidemque suæ reconciliationis litteras testimoniales dedit, asserendo hoc potuisse agere, cum dictus Joannes ignarus hæresum et errorum Calvinii non posset dici hæreticus formalis, sed tantum materialis, et ideo non egere absolute ab excommunicatione, quæ supponit peccatum, quod propter ignorantiam prædictus Joannes non incurrit. Lectis litteris Inquisitoris X. datis die 11 hujus, Eminentiss. decreverunt, ut dictus Pater N. acriter moneatur, ita ut in posterum a similibus absteat, nam alias severo punietur, quia ipsius opinio potius metaphysica quam vera, in S. Officio non est recepta. Quare Inquisitor animadvertat ne idem Pater X. aut alii hujusmodi opinionem sequantur, sed curet ut hujusmodi hæretici ad S. Officium mittantur”—Antoine, vol. ii. p. 313.

Ecclesiæ in proponendis rebus fidei, posse illam negare inculpabiliter, et tamen adhuc habere actus fidei Christianæ circa aliqua mysteria, pro quorum credibilitate proposita sunt ei sufficienter alia motiva.”—Lugo, D. 17, n. 122. Si II. Tunc supponitur dogma esse sufficienter propositum ut revelatum, et cum eodem Lugone (n. 124) dicimus “contra auctoritatem divinam fieri, non solum quando admissio testimonio Dei, negatur ei fides, sed etiam quoties ipsum testimonium divinum sufficienter propositum non admittitur ut tale ; sicut faceres contra reverentiam regis, non solum, si fatendo eum esse regem, eum sperneres, sed etiam si irrationabiliter negares eum esse regem, cum prudenter illud debes credere, et ideo eum contemneres ; ad cultum enim regis pertinet eum colere, quoties sufficienter proponitur ut rex.” Quoad bonam fidem istorum hæreticorum, eam non esse vere talem patet, aut saltem non esse bonam fidem quæ fundatur in ignorantia invincibili ; alioquin eam habentes non essent formales hæretici. Rejiciens sufficienter propositum non potest habere bonam fidem, quantumvis affirmet aut putet se habere.

212. Neque urgeas multos Protestantes firmissime credere dogmata quæ tenent v. g. divinitatem Christi.

213. *Resp.* Protestantes quicumque hæretici tantum materiales sunt: esto, seu transeat: Protestantes qui sunt hæretici formales, subdist: Credunt, fide divina proprie dicta: Nego: Credunt ex fide humana, propter auctoritatem parentum, ministrorum, &c. ; vel ex habitu quodam naturali et facilitate credendi quam a pueris habent, ex institutione parentum, ex consuetudine quotidiana cum membris suæ sectæ, &c. ; vel ex obstinatione ; vel ex vana gloria ; vel ex partium studio ; vel ex alio quo-

clam simili principio ; vel, si velis, propter testimonium Dei, sed non assensu appretiative summo : Concedo.

214. Ceteræ quæ moventur objectiones ex dictis facile solvuntur. Et hæc de hæreticis et hæresi sufficient ; quæ duo et Theologos multum vexant et Ecclesiam Sanctam Dei multo magis. Sed “oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant 1 Cor. xi. 19.

DISPUTATIO SECUNDA.

NOTIONES PRÆVIÆ DE ECCLESIA.

Sectio Prima : De Nomine *Ecclesiæ*.

Sectio Secunda : De aliis Nominibus quibus Ecclesia insignitur.

Sectio Tertia : De Definitione Ecclesiæ.

Sectio Quarta : De Eontibus Argumentorum.

Sectio Quinta : De Institutione Ecclesiæ.

Sectio Sexta : De Constitutione Ecclesiæ.

DISPUTATIO SECUNDA.

NOTIONES PRÆVIÆ DE ECCLESIA.

Sectio Prima __ DE NOMINE ECCLESIAE.

VOCABULUM *Ecclesia* et profanum et sacrum sensum in Scriptura habet. *Primo*. Aliquando significat congregationem hominum quorumcunque, etiam improborum : Psalm, xxv. 5 ; Act. xix. 32. *Secundo*. Aliquando significat locum in quo convenere fideles ad Deum colendum : Judith, vi. 21, et forsā 1 Corinth, xi. 18. *Tertio*. Plerumque, saltem in N. Testamento, ipsum coetum fidelium, magis aut minus extensum, significat. Coetus fidelium V. Testamenti magis proprie *Synagoga* seu congregatio vocatur : coetus vero fidelium N. Testamenti magis proprie *Ecclesia*, seu evocatio (i. e. per tropum vulgarem, evocati seu coetus evocatorum), nuncupatur. In V. Testamento fideles tunc temporis aliquando sub nomine Ecclesiae designantur, non ita vero in N. Testamento, sed soli Christiani, nisi forsā excipias Act. vii. 38. E contra, Christiani nunquam in N. Testamento sub nomine Synagogae designantur, duobus locis exceptis, sciz., Hebr. x. 25, et Jacob, ii. 2 : sed de hoc loco Jacobi dubium forsā moveri potest an conventus qui ibi synagoga dicitur sit sacer an conventus in genere. Vid. Catechism. Trident. P. 1, C. 10, Q. 3.

2. In hac tertia significatione vocabulum *Ecclesia*, et in S. Scriptura et apud auctores ecclesiasticos, varia sonat. I. Significat omnes fideles et in cælo et in terra et in purgatorio; et sub hoc respectu dividitur in Ecclesiam *Triumphantem, Militantem, et Patientem*. II. Significat collectionem omnium fidelium quotquot ab initio mundi fuerunt; et sub hoc respectu dividitur in Ecclesiam *ante Christum* et Ecclesiam *post Christum*, seu in Ecclesia: *ante V. Testamentum*, Ecclesiam *F. Testamenti*, et Ecclesiam *N. Testamenti*. III. Significat Ecclesiam *Militantem N. Testamenti*; et sub hoc respectu aliquando significat præpositos solos, maxime Episcopos cum Summo Pontifice, qui vocantur Ecclesia *Docens*; ut v. g. cum dicitur Ecclesiam tale et tale docere. Aliquando significat omnes fideles præter Episcopos, et illi vocantur Ecclesia *Audiens*; ut v. g. cum dicitur Ecclesiam Christi regimine Episcopali gubernari, Act. xx. 28. Aliquando significat omnia membra infra S. Pontificem; ut v. g. cum dicitur Ecclesiam non posse a suo Capite separari, aut S. Pontificem esse totius Ecclesiæ Pastorem. Aliquando significat universum corpus, Capite incluso; ut v. g. cum dicitur Ecclesiam esse indefectibilem, unam, &c. Aliquando significat universos fideles, Episcopo incluso, imius dioecesis. Sed usus vocabuli Ecclesiæ ad designandos fideles unius domus aut familiæ (prout intelligitur Rom. xvi. 5), aut etiam unius parœciæ, jam penitus obsoletus esse videtur: Bellarm. L. 3, C. 1; Stapleton, Demonstrat. L. 1, E. 2; Tournelly, Q. 1, A. 1; Browne, de 39 Artic., vol. ii., pag. 143, &c.; Litton, pag. 307, &c.; Trench, Synonyma N. Testamenti,

3. Vox *Ecclesia* in sequentibus generatim significat

universam Ecclesiam Christi militantem. Quando autem significationem minus latam habeat, vel ex subjecta materia vel ex verborum contextu facile apparebit.

Sectio Secunda—DE ALIIS NOMINIBUS ET TITULIS QUIBUS ECCLESIA IN S. SCRIPTURA INSIGNITUR.

4. Quoniam appellationes et tituli quibus Ecclesia, Spiritu Sancto dictante, in S. Scriptura designatur, non sint vana sine re nomina, sed e contra eam, qualis a Deo auctore suo condita et stabilita fuit, indicent, et quidem, suo modo, plane significant, hinc est quod ad declarandam et evincendam Ecclesiæ structuram et proprietates utillime investigentur. Sicut enim ex appellationibus Leonis, Columinis reipublicæ, Civitatis Munitæ, Muri Ærei (Jerem. i. 18), &c. &c., qualis sit hic vel ille homo, saltem in mentibus eorum qui nomina hæc ei indiderunt vel indita probant, optime notum fit; ita similiter ex nominibus Ecclesiæ datis qualis sit apertum erit. Infra in Disput. de Unitate Ecclesiæ (D. 6, n. 76, &c.), usus loquelæ quoad hanc materiam plenius explicabitur et demonstrabitur: et in eadem Disput. et alibi passim, et ejusdem usûs, et argumentorum gravissimorum quæ in eo fundantur exempla, occurrent perpetuo et fere innumera.

5. Ecclesia vocatur I. *Unum Corpus*: “Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra Roman, xii. 4. “Omnes nos in unum corpus baptizati sumus.....Multa quidem membra, unum autem corpus:” 1 Corinth, xii. 13, 20. “Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno

corpore Coloss. iii. 15. Totam Ecclesiam in illis textibus appellari unum corpus nimis manifestum est. Omnia enim membra Ecclesiæ, in primo textu, in voce “multi” indicantur, et omnia membra talia in Christo sunt. Similiter quoad secundum et tertium locum omnia sunt baptizata et vocata.

6. II. Ecclesia est *Corpus Christi*. “Vos autem estis corpus Christi :” 1 Cor. xii. 27. Ex antecedentibus et consequentibus patet Apostolum loqui non de Corinthiis seorsum, sed de tota Ecclesia Christi. “Ipsium [Christum] dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius Ephes, i. 22. “Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c.....in aedificationem corporis Christi:” ibid. iv. 11. “Membra sumus corporis ejus [Christi] ibid. v. 30. “Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia :” Coloss. i. 24.

7. III. Ecclesia est *Domus Dei* seu *Christi*. “Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi:” 1 Tim. iii. 15. “Christus vero tanquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus :” Hebr. iii. 6. “Sacerdotem magnum [sciz. Christum] super domum Dei:” ibid. x. 21. “Tempus ut incipiat iudicium a Domo Dei :” 1 Pet. iv. 17. Vid. Est ium et A. Lapid e in hunc locum. Ecclesia est etiam “Domus spiritualis ibid. ii. 5.

8. IV. Ecclesia est *Templum Dei* et *Templum Sanctum*. “Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos:” 1 Cor. iii. 16. “Vos enim estis templum Dei vivi 2 Cor. vi. 16. “Supcrædificati su-

per fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino ; in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu :” Ephes, ii. 20.

Quidam dicunt non Ecclesiam sed unumquemque fidelem vocari templum.

Resp. Omnis sanctus bene vocari potest templum Dei in illo, mirabili quodam modo, habitantis, juxta verba Christi:—“Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus :” Joann, xiv. 23, et ita individui fideles aliquando vocantur. Tota autem Ecclesia potiori jure hoc nomine insigniri potest ; et de ea sermonem esse in textibus allatis patet. 1°. Apostolus dicit *vos estis templum*, non *templa* : quæ locutio ad minus duriuscula foret, si de singulis ut totidem templis, non vere de omnibus simul sumptis sermo fuisset. 2°. De sensu textus Ephes, non potest esse dubium. Manifesto enim exhibet universam Ecclesiam ut in Christo constructam, et Ephesios ut partem hujus templi cum ceteris partibus coædificatam. Vid. D. 3, n. 36.

9. V. Ecclesia est *Regnum, Regnum Coelorum, Regnum Dei, Regnum Christi* “Tunc simile erit Regnum coelorum decem virginibus Matth. xxv. 1. “Aufertur a vobis Regnum Dei :” ibid. xxi. 43. “Qui [Deus Pater] eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in Regnum filii dilectionis sue :” Coloss. i. 13. Et sic

* Alias significationes habent ista verba, quas videas apud interpretes S. Scripturæ. Consul. Kuinoel in Matth. iii. 2 ; Patuzzi, Lib. 3, Diss. 46 (vol. ii., pag. 476, &c.), et nostrum commentariolum (Anglice scriptum), De Primatu B. Pctri, n. 81 .

in aliis multis locis. Vide loca ex λ et. Test. D. 4, n. 14 ; D. 6, n. 103.

10. VI. Ecclesia est *Sponsa Christi*. “Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo 2 Cor. xi. 2. “Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ..... Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia Ephes, v. 23, 25, 32.

11. VII. Ecclesia est *Civitas*. “Non potest civitas abscondi supra montem posita Matth. v. 14. Apostoli et alii Prælati Ecclesiæ hic præcipue designantur. In Isai. i. 26, et lx., et aliis locis Vet. Testamenti, Ecclesia Novæ Legis sub typo civitatis indicatur.

12. Præter hæc *Nomina*, seu Titulos Ecclesiæ metaphoricos, qui nihil aliud sunt quam similitudines implicit®, sunt et *Similitudines* explicit®, et *Parabolas* plures, quas infra, ubi locus argumenta ex iis eruendi dabitur, recensebimus. Vid. D. 3, n. 7, 8 ; D. 6, n. 90, et alibi.

Sectio Tertia—DE DEFINITIONE ECCLESIAE.

13. Etsi nullum aut minimum utilitatis esse putamus multum laborare in ista generali et inadæquata Ecclesiæ definitione cudenda, quam admitterent simul et Catholici et Protestantes ; vere utile esse censemus definitionem præponere Catholicam et adæquatam, et cum ea definitionem seu definitiones Protestanticas saltem præcipuas et magis receptas conferre, ut sic ab initio pateat in quo, si in aliquo, conveniamus, in quo dissentiamus. Hæc duo, etsi breviter, præstabimus, quibus definitionem aliquam communem et imperfectam addemus.

14. Bellarmixi definitio ab omnibus Theologis pro-

batur :—“ Coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione, et eorundem sacramentorum communionem colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis” (De Eccl. L. 3, C. 2). Hæc est definitio corporis Ecclesiæ seu Ecclesiæ qua Visibilis. Eam a cavillationibus quorundam futilibus defendunt *Tournelly*, et alii.

15. Doctor recens Protestanticus Anglus, *Browne* (vol. ii. pag. 135, *not.*) dicit hanc definitionem, uno excepto gravi capite, sciz., de subjectione Romano Pontifici, non multum differre ab iis quas primi Reformatores ediderunt. Sed hoc, maxime si sensus genuinus et scopus definitionum inspiciatur, a vero longe abest. *Litton* (pag. 4-11, vid. supra, D. 1, n. 147) dicit conceptum Ecclesiæ Protestanticum per se fluere et sequi ex doctrina Protestantica *justificationis per fidem*. Addit præterea non aliam doctrinam sive Catholicis sive Protestantibus tribuendam esse, præter eam quæ in eorum propriis libris symbolicis continetur.* Quoad Catholicos hoc æquis-

* “Of the Lutheran formularies the principal is the *Confession of Augsburg*, the groundwork of all the other Protestant symbols. It was composed by Melancthon, and presented to the Diet sitting at Augsburg by the Protestant princes, as the exposition of their faith. The Romish theologians prepared a reply, entitled a *Confutation of the Confession*, which drew from Melancthon a second, and much more extended, apologetic statement, entitled, *The Apology of the Augsburg Confession*; a work of the greatest importance in ascertaining the real points in dispute between the Protestant party and their opponents. The third symbolical book of the Lutheran Churches is, the *Articles of Schmalcald*, prepared by Luther in the expectation of its being presented at a General Council to be held at Mantua; which, however, never took place. Luther’s *Two Catechisms*, composed for the use of the laity, close the list.

“The Reformed Churches differed from the Lutheran in not possess-

simum est : omnes enim Catholici profitentur unumquemque, ut sit verus Catholicus, teneri omnia et singula firmissimo assensu amplecti et credere, quæ ad credendum ab Ecclesia proponuntur ; et neminem alia, præter hæc, dogmata tanquam Catholica credere teneri (D. 1, n. 174, 175). Quoad Protestantæ autem, quoniam om-

ing a common confession recognised by all ; each Church framing one for itself, according as it inclined to the views of Calvin or Zuinglius, which on some points, especially the sacraments, were not exactly the same. Of the Reformed Confessions the following, arranged (with the exception of the two Catechisms placed last) in chronological order, are the most important :—*The three Helvetic Confessions*. The first of these, commonly called the second, appeared at Basle, A. D. 1536. In the year 1566, the same Confession, much enlarged, was given to the world, in the name and with the sanction of the Swiss Churches, those only of Basle and Neufchatel excepted. The third Helvetic Confession, by some considered the most ancient of all the Protestant symbols, was composed by Oswald Myconius, the friend of Zuinglius and Æcolompadius, A. D. 1529. *The Scotch Confession*; the work probably of John Knox. It appeared at Edinburgh, A.D. 1560. *The French Confession (Confessio Gallicana)* ; presented by Theodore Beza, in the name of the French Reformed Churches, to Charles IX., A.D. 1561. It was afterwards formally adopted at a national Synod, held at Rochelle, 1571. *The Thirty-nine Articles* of the English Church. *The Belgic Confession*; sanctioned by various Synods.....*The Polish Confession*, which goes by the name of *Declaratio Thorunensis*. It was drawn up in 1645, with the view of effecting a reconciliation between the Romish, Lutheran, and Reformed Churches of Poland ; and is, perhaps, of all the Protestant confessions, the most carefully worded and instructive. *The Heidelberg Catechism* ; composed by command of the Elector Palatine, Frederick III., A. D. 1563. It was received by the Reformed Churches with universal approbation, and in many of them was used as a manual for schools. *The Genevan Catechism* ; drawn up by Calvin, A. D. 1545. Like the former, it gained a place in the Swiss Churches as a manual of instruction for youth.”—Litton, pag. 26, 27.

ñes rejiciunt Infallibilitatem Ecclesiæ, et innumeri ex illis nullam in ea admittunt auctoritatem docendi aut definiendi, saltem quæ membra ad credendum obliget; ideo nullomodo inferre pro certo (aut etiam sæpius probabiliter) possumus quæ sit actualis fides Ecclesiæ alienjus particularis Protestanticæ, ex ejusdem libris symbolicis. Sic 39 Articuli constituunt librum symbolicum Ecclesiæ Constitutæ: sed quot sunt illius Ecclesiæ membra, et clerici et laici, ejui se omnino liberos esse ad hunc vel illum articulum respuendum et credunt, et profitentur, et gloriantur!

16. Quicquid sit de his (de quibus alius erit locus magis ex professo disserendi), in ipsis libris symbolicis Protestantium varii conceptus et definitiones Ecclesiæ inveniuntur. Secundum Artic. 19, ex 39 Articulis, “Ecclesia Christi visibilis est cœtus fidelium, in quo verbum Dei purum prædicatur, et sacramenta quoad ea quæ necessario exiguntur juxta Christi institutum recte administrantur.” Hæc definitio originem ducit a Confessione Augustana, Art. 7 (Browne, vol ii. pag. 132). Confessio Scotica dicit Ecclesiam esse societatem omnium electorum, et proinde esse invisibilem (Litt on, pag. 44). Has et alias definitiones Protestanticas conciliare conatur idem Litt on, pag. 51 et seqq. Doctrinam de Ecclesia Protestanticam communem, quatenus distinguitur a doctrina Catholica, sic ille exponit:—

17. “Una vera Ecclesia, illa sancta Catholica Ecclesia, de qua loquitur Symbolum [sciz. Apostolorum], non

* Dico *omne**: non enim excipiendos esse existimo paucos Oxonienses qui Infallibilitatem, sed tantum imaginariam quandam, admittunt.

est corpus mixtum, intra se et malos et bonos complectens. Est conventus eorum qui, ubicunque sint, viva unione cum Christo per fidem junguntur, et de sanctificantibus ejus Spiritus influxibus participant. Proprie loquendo, præter membra jam in terris, omnes salvandos comprehendit. Arctiori significatione, nomen [Ecclesiæ] corpus vere credentium quovis dato tempore in mundo existens designat.

“Eatenus invisibilis est vera Ecclesia quatenus non adhuc manifestatur qua corpus ; seu, aliis verbis, nulla est societas seu corpus visibile in terris, de quo prædicari potest quod sit corpus Christi mysticum. Hinc plane sequitur Caput hujus corporis non esse visibile.

“Ecclesiæ particulares, aliter separatæ, unum sunt propter communem relationem ad unam veram Ecclesiam, seu corpus Christi mysticum, et conjunctionem cum ea. Hujus conjunctionis, ideoque veræ visibilis Ecclesiæ, notæ externæ sunt pura prædicatio verbi (in fundamentalibus saltem) et administratio sacramentorum, ‘quoad ea quæ necessario requiruntur juxta Christi institutum.’ Hæ sunt duæ notæ necessariæ veræ Ecclesiæ [‘of a true Church’] ; quibus addi potest, etsi minus necessaria, usus disciplinæ.

“Etsi, secundum conceptum, Ecclesiæ visibiles sint ‘congregationes sanctorum’ n. e. vere sanctificatorum, et ut tales habendæ sint, si sint vocandæ Ecclesiæ, attamen nunquam vere tales sunt. De facto sunt semper conventus mixti, complectentes hypocritas et Christianos qui solum nomine tenus tales sunt, æque ac vere credentes ; inter quos perfecta separatio, in præsentī vita, impossibilis est, et secundo Christi adventui reservatur. Hinc collectio visibilium Ecclesiarum Christianarum per mun-

dum non est idem accurate cum vera Ecclesia [*the true Church*], quæ, ut dictum est, ex solis vivis membris Christi constat.

“‘Episcoporum successio,’ ‘Antiquitas,’ ‘Amplitudo,’ ‘*Nomen Catholice*,’ et hujusmodi notæ *per se* non probant aliquam societatem esse Christi veram Ecclesiam [*the true Church*].

“‘Uni veræ Ecclesiæ [*To the one true Church*], corpori Christi, proprie pertinent promissiones perpetuitatis, perpetuæ præsentiae Christi, et conservationis ab errore fundamentali. Idem dici potest de attributis Ecclesiæ, Unitatis, Sanctitatis, &c. : hæc, in plena et propria significatione, non possunt prædicari nisi de eo corpore [*mystico*] Christi quod adhuc non est plene manifestatum.’”*

* || The one true Church, the holy Catholic Church of the Creed, is not a body of mixed composition, comprehending within its pale both the evil and the good: it is the community of those who, wherever they may be, are in living union with Christ by faith, and partake of the sanctifying influences of His Spirit. Properly, it comprises, besides its members now upon earth, all who shall ultimately be saved. In its more confined acceptation, the phrase denotes the body of true believers existing at any given time in the world.

“The true Church is so far invisible as that it is not yet manifested in its corporate capacity; or, in other words, there is no one society, or visible corporation upon earth, of which it can be said that it is the mystical body of Christ. Hence, of course, the Head of this body is not visible.

“Particular churches, otherwise unconnected societies, are one by reason of their common relation to, and connexion with, the one true Church’ or mystical body of Christ. The outward notes of this connexion, and therefore of a true visible Church, are, the pure preaching of the Word (in fundamentals at least), and the administration of the Sacraments * according to Christ’s ordinance in all those things that of

18. Ita Litton, in quibusdam satis obscure, sed etiam, ut puto, satis accurate, si spectetur doctrina plurimum sectarum seu scholarum Protestantium. Sed, ex una parte, etiam in his sectis seu scholis, dissidia sunt circa alia capita quoad Ecclesiam hic non tacta, quæ tamen gravis sunt momenti : ex altera vero parte, sectæ sunt aliæ Protestantium, quæ vel in toto vel in parte hanc expositionem rejicerent. Sed de his alibi.

19. Definitio adæquata Ecclesiæ eam a quavis alia societate distinguit, non tantum a societatibus quæ ex professo non-Christiani sunt, v. g. paganis, Turcis, &c.

necessity are requisite to the same.' These are the two indispensable notes of a true Church : to them may be added, though it stands not in the same order of necessity, the exercise of discipline.

“Although visible Churches are, according to the idea, ‘congregations of saints,’ i. e. of really sanctified persons, and must be regarded as such if they are to have the name of Churches, yet they are never really so : in point of fact, they are always mixed communities, comprising hypocrites and nominal Christians, as well as true believers, a perfect separation between whom is, in the present life, impossible, and is reserved to the second coming of Christ to judgment. Hence the aggregate of visible Christian Churches throughout the world is not exactly identical with the true Church, which, as has been said, consists only of the living members of Christ.

“Such notes as ‘the succession of Bishops,’ ‘antiquity,’ ‘amplitude,’ ‘the name of Catholic,’ &c., are, *taken alone*, not sufficient to prove a society to be a true Church of Christ.

“To the one true Church, the body of Christ, properly belong the promises of perpetuity, of the continued presence of Christ, and of preservation from fundamental error. The same may be said of the attributes of the Church, Unity, Sanctity, &c.; these, in their full and proper sense, can be predicated only of that body of Christ which is not yet fully manifested.”—Lib. i., Pars 1, Cap. 1 (pag. 51-2).

* Ipse Litton Doctor est sectæ intra Ecclesiam Constitutam quæ *Schola Evangelicalit* vulgo audit (“The Evangelical School”).

sed etiam a societatibus nomen Ecclesiæ verax Christi sibi haud jure vindicantibus. Definitio inadæquata, qualem adversarii admitterent, unam tantum aut alteram proprietatem exhiberet quæ et Ecclesiæ veræ et sectis communis esset. Prout proprietas ista pluribus aut paucioribus sectis simul cum Ecclesia vera communis esset, plures aut pauciores sectæ eam admitterent, et simul cum Ecclesia vera in ea complecterentur. Sic, si Ecclesia definiatur, “Societas hominum fidem Christi totam et incorruptam profitentium,” hæc definitio **includit** omnem societatem pure schismaticam, et excludit omnem hæreticalem. Si definiatur, “Societas hominum profitentium Christum esse divinitus missum,” tunc sectæ et hæreticales et schismaticæ includerentur. Et ita porro de aliis hujusmodi definitionibus.

20. Si ergo quaeratur definitio quæ non rejiceretur a Protestantibus (saltem propter aliquid in ea inclusum : nam forsitan a quibusdam rejiceretur tanquam minus completa—sed nunc non est quæstio de definitione completa), patet prius inquirendum esse quæ sint classes Protestantium quibus accommodanda est definitio. Sic, Oxonienses admitterent definitionem quæ affirmaret necessitatem Episcopalis regiminis, quam alii Protestantes, non solum Presbyteriani sed Protestantes Ecclesiæ Constitutæ omnino rejicerent. Si vero quaeratur definitio

* Quoniam sæpius occurret mentio Ecclesiæ Protestanticæ Anglicæ quæ a lege constituta est tanquam Ecclesia Nationalis, eam, brevitatis causa et ad perpetuas circumlocutiones evitandas, *Ecclesiam Constitutam* voco. Anglico vocatur “The Established Church.” Riddle hrcæ habet:—“*The Established Church*, ea ecclesiæ forma quæ est a republicæ sanctissimo constituta.” (Dictionarium Angl. Eat., sub voce *Establish*). Quarenam interpolat, dicendo *sanctissime* ?

quæ ab omnibus Protestantibus admitteretur, nescio annon sufficeret ista *Bossuetii* :—^t“ Societas quæ profitetur credere doctrinam Jesu Christi et ejus verbo dirigi.”* Si quis aliam definitionem cudere velit quæ sibi aptior appareat, per me licebit. Quæstio hæc de definitione Ecclesiæ inadæquata nullius fere momenti est.^f

Sectio Quarta.—DE FONTIBUS ARGUMENTORUM QUÆ IN
HOC OPERE PROFERUNTUR.

21. Ad disputandum sapienter et cum spe fructus, statuta materia disputationis, ante omnia præfiniri debent loci communes, unde desumenda sunt argumenta ex utraque parte. Hi autem loci communes nos inter et præsentis adversarios sunt S. Scriptura et Traditio—sed cum limitibus et explicationibus mox apponendis. Hic autem sedulo notandum est nos hanc methodum

* “Une société qui fait profession de croire la doctrine de Jesus-Christ, et de se gouverner par sa parole.”—*Conference avec AI. Claude*, pag. 5. Male redditur hæc definitio apud *Delahogue*, pag. 2 (et post ipsum a *Bouvier* pag. 234, et ante ipsum a *Baillly*, vol. i., pag. 14, qui pro vocabulo *fidem* reponit *religionem*), “Societas hominum viatorum veram Christi doctrinam profitentium.” Aliud est enim *profiteri* veram doctrinam, aliud vero *profiteri credere*. Sana est fides illius qui profitetur veram doctrinam : aliquis autem potest profiteri credere veram doctrinam, qui tamen non veram sed falsam credit.

^t Secta existit in Anglia multos viros excultos complectens, quæ se Christianam vocat, et tamen S. Scripturam non magis sacram habet alio quovis libro, imo, etsi multa bona, etiam multa inania, mythica, falsa et absurda continentem. Christum ipsum legatum non magis divinum prædicat quam fuerunt Socrates, Mahumes, &c. Hæc secta suum systema a Germania videtur invexisse : organum habet trimestre, cujus nomen, *Recensio Weetmonasteriensis*, “The Westminster Review.” Incredible est quantum laborant doctores ejus ad suas ideas late propagandas. Vid. *Whately*, “Remains of Bishop Copleston,” pag. 48.

sequi tantum ut methodum *disputandi* logicam : nullo modo autem quasi hic sit modus actualis et, ut ita dicam, naturalis, quo constitutio et attributa Ecclesiæ a fidelibus primo *discantur et credantur*; aut quasi sit modus genuinus et proprius istam constitutionem et attributa infidelium aut aliorum acatholicorum acceptioni proponendi. Verum est quosdam, rimando Scripturas et præcipue testimonia Traditionis, ad veram Ecclesiam, adjuvante gratia, adductos fuisse. Sed numero paucissimi sunt, qui ea via sola aut præcipua conversi sunt. Omni Scriptura et traditione remota, Ecclesia signaculum Dei, quasi stellam lucidissimam, in fronte gerens, se suaque attributa, suam originem et auctoritatem divinam mundo manifestat. Non libris manuscriptis, non testimonio antiquo, sed magisterio semper vivo, semper novo et simul semper vetusto, clamat, aures hominum tenet, attrahit, docet, illuminat, confirmat :—“ Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt Isai. Ixii. 6. Quæ omnia plene explicabuntur infra, ubi de Magisterio Infallibili Ecclesiæ, et de modo quo fideles communiter eliciunt actum fidei verum. Vid. *Per bone*, de Locis, P. 2, n. 430.

22. “ Si ita se res habeat,” quæret aliquis, “ ut quid ergo in istam descendis palaestram ?” *Resp.* 1°. Finis generalis est ut omnibus quicumque in negotio propagationis aut defensionis fidei versantur præsto sit thesaurus non solum doctrinæ integræ et puræ, sed etiam argumentorum omnigenorum, ex quibus ea seligere possint quæ, secundum circumstantias personarum, loci, &c., aptiora esse putent, eademque stylo et methodo iisdem circumstantiis accommodata proponant. 2. Hujusmodi tractatio, quoad aliquos acatholicos, removet obicem. 3.

Quoad alios, suppeditat adjutorium positivum. 4°. Utilissima est ad pleniorum et accuratiorum doctrinarum evolutionem. 5°. Necessarium est examini subicere et confutare systemata adversariorum, tum ne ipsi de putativa victoria sibi blandientes obduratiores fiant; tum multo magis ne imbecilliores Catholici decipiantur, et forsitan in tramite recto titubent, aut ab ea seducantur. 6°. Opus est in se, et ut merum exercitium Theologicum, perjucundum et bonum. 7°. In gloriam redundat et triumphum dilectissimæ Matris nostræ, Sponsæ Christi, Ecclesiæ Dei Sanctæ.

23. Quoad *Primum* Locum, sciz., S. Scripturam. I. Nos inter et Protestantes convenit de Authenticitate, Integritate et Veracitate veteris et Novi Testamenti. Equidem fere omnes deuterocanonici libri Vet. Testamenti qui apud nos ut vere canonici habentur, ab illis ut non-canonici rejiciuntur. Quoad Nov. Testamentum idem est eorum Canon ac noster: vid. Concil. Trident. Sess. 4, et Artic 6 ex 39 Articulis. An vero omnes illos libros quos tanquam non-canonicos rejiciunt Protestantes, etiam ut spurios seu non-authenticos habeant, mihi non constat. “Alios autem libros [sciz. rejectos ut

* Canonici eunt libri qui ut sacri et inspirati ab Ecclesia declarantur. Protocanonici eunt qui semper et ab omnibus ut inspirati habiti sunt: deuterocanonici, de quorum inspiratione olim a quibusdam dubium movebatur.

j. Versio Anglica ab Ecclesia Constituta (seu potius, ut fert tituli pagina, a Illego illius Ecclesiæ capite), probata, ea sola est quæ in manibus omnium Protestantium harum regionum, sive sint membra illius Ecclesiæ sive non (dissentientes, Anglice “Dissenters,” ut vocantur) invenitur: nec, quantum scio, existit alia totius Scripturæ versio Anglica Protestantica—certe nulla alia in communi usu.

apocryphos], ut ait Hieronymus, legit quidem Ecclesia, ad exempla vitæ et formandos mores ; illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet.” Ita Articulus 6. Quicquid de hoc dicatur, libri quos illi non solum ut authenticos integros et veraces sed etiam ut vere inspiratos (in quibus omnes libri N. Testamenti includuntur), admittunt, abunde sufficiunt ut loci communes unde in sequentibus argumenta depromantur.

24. II. Absolute non est opus quod Inspirationem Scripturæ supponamus. Sufficit quod ejus libri sint *authentici*[^] ideoque ea ætate et ab iis auctoribus quibus assignantur vere scripti ; *integri*, ideoque in nullo substantiali interpolati aut manci ; *veraces*, ideoque facta et dicta Christi, Apostolorum, &c., vere narrantes. Attamen cum Protestantes, quibuscum in hac materia de Ecclesia controversiam habemus, non solum admittunt, sed tanquam dogma fundamentale mordicus tenent et defendunt istam inspirationem ; idcirco si aliquando opus sit ad Scripturam *ut* inspiratam provocare, inspiratio hæc tanquam concessa supponi potest.

25. III. Quoad Interpretationem Scripturæ (hic omis- sis sentiis aperte hæreticalibus infra, ubi de Regula Fidei, refutandis), duplex est modus sensum Scripturæ inveniendi, sciz., via auctoritatis et via critici examinis. Via examinis critici, quæ etiam Hermeneutica et Exegetica vocatur, eadem est qua critici utuntur in interpretandis aliis libris v. g. operibus Homeri, Ciceronis, &c., inquirendo sensum verborum ex generalibus regulis quibus usus loquendi dirigitur et exploratus habetur, ex lexicis, ex contextu, comparando verba cum verbis, loca cum locis, cum subsidiis ex historia, geographia, &c. &c. Vria auctoritatis duplex est. Prima est ex auctoritate

graviorum interpretum, inter quos recenseri possunt 8. Patres spectati ut meri interpretes docti ; et haberi potest ut pertinens ad viam examinis critici. Secunda est ex auctoritate Ecclesiæ infallibili, vel per expressam definitionem, vel per “unanimem consensum Patrum,” suam interpretationem suumque sensum manifestantis (Cone. Trid. Sess. 4). Non hac, sed via examinis critici et prima specie viæ auctoritatis in sequentibus utimur. Has duas admittunt Protestantes, iisque ipsi utuntur; auctoritatem Ecclesiæ infallibilem, a Protestantibus rejectam, nostri erit in hoc opere propugnare et argumentis firmare.

26. Quoad *Secundum* Locum, sciz., Traditionem. Vox illa duplicis est significationis : aliquando significat rem traditam, aliquando medium tradendi, utv.g. cum dicimus tale dogma probari ex Traditione. De ea utroque modo intellecta multa posthac disserentur, ubi de Regula Fidei. Quomodo Traditio hic accipitur tanquam unus ex fontibus argumentorum in hoc opere sic breviter exponimus. I. Medium quo dogmata (nam de dogmatibus jam tota questio est), transmissa sunt multiplex est ; prout bene ostendit Perrone, de Locis P. 2, n. 423, &c. II. Multi Protestantes admittunt invictum esse argumentum in gratiam alicujus doctrine quod eam tenuerit Ecclesia primitiva; ideoque, si constiterit aliquam doctrinam partem fuisse depositi fidei in primo aut secundo aut tertio aut quarto aut forsan etiam uno aut altero sequenti seculo, exinde constare illam ab Apostolis fuisse traditam.

* “ At what point is the investigation to stop? Is it at the end of the second, or third, or fourth, or fifth centuries? ‘Stand by the first six General Councils,’ exclaim Irenæus and Stillingfleet; ‘Stop at

Plures equidem ex l'rotcstantibus liæc non admittunt ; plane tumen, ex suo modo agendi, ostendunt ho pondere talis argumenti· graviter premi et torqueri. III. Sive autem Protestantes vim talis argumenti sponte admittant necne ; si non omnia, saltem multa sunt dogmata quæ, si constiterit ea pertinuisse ad fidem Ecclesiæ tali aut tali seculo, argumento Præscriptionis ostendi potest non aliunde fuisse derivata quam ex ipsis Apostolis. Pale sine dubio est dogma de Primatu Romain Pontificis, prout in Disputatione de isto Primatu ostendemus. IV. Quod Ecclesia tenuerit vel non tenuerit tali aut tali seculo, tale aut tale dogma, v. g. de Divinitate Christi, fuit*factum* gravissimi momenti, et, *time* saltem, sensibile et publicum. Hoc, ad minus quoad dogmata graviora et, sensu Catholico, fundamentalia; a nemine in dubium vocari potest. V. Hujusmodi facta, pariter a caliaquævis facta publica, sensibilia, gravis momenti, legitima esse testimonii humani etiam summi generis objecta, nimis manifestum est. VI. Ut nobis constet, probabiliter, probabilius aut certo, quæ fuerit doctrina Ecclesiæ tali seculo, solum requiritur testimonium *da facto* debitis conditionibus vestitum.

27. VIL Si ergo inveniantur in aliquo seculo viri

tJio end of the fifth century,' says Archbishop Bramhall; 'you must not draw bridle till the disunion of the linat and West,' crie» Bishop Ken; * Von are wrong,' says Archbishop Usher, four *or* five hundred years are sufflcicnt ' Rather three *or* four,' say Walerhind and Beveridge Bo o e i i s, *Euay*», vol. ii png. 37 : i. o. quoad substantiam " l'riinn sex concilia generalia admittunt Hammoni» et Srii.i.i.NOFi.Kir ; prima quinque secula, Bηλ μ ι ι λ ι ι ι ; usque ad separationem Orientis et Occidenti», Ken ; priffia quatuor *aut* quinque secula, Umie ii; primn Irin *aut* quatuor, Wat f. Kl. a n i) et Bev k k i h g k."

officio et doctrina et pietate et zelo, aut omnibus simul aut quibusdam saltem ex illis notis, clari et eminentes, qui in suis scriptis tale aut tale dogma docent tanquam ab omnibus professum ; quod a nemine rejectum est, aut si ab aliquo nonnisi cum paucis fautoribus et non sine nota hæreseos illis a ceteris affixa ; tale testimonium grave profecto argumentum est talem fuisse fidem Ecclesiæ tunc temporis. Si vero plures unanimi consensu idem doceant, argumentum fit adhuc gravius, imo gravissimum. Idem affirmari debet de conventibus illis Ecclesiasticis quos Concilia vocamus, maxime si generalia fuerint. Alia sunt testimoniorum genera in gratiam hujusmodi factorum, pùblicæ liturgiæ variarum ecclesiarum particularium, praxis Ecclesiæ, veteres inscriptiones, et ipsorum etiam hæreticorum et infidelium criminatio- nes et convicia, &c. &c. Si vero omnes hi testes simul existant et in idem collinient, rem plane conficiunt et extra omne dubium ponunt.

28. VIII. Talia sunt testimonia quibus, modo et fine exposito, in sequentibus utimur. Notandum ergo 1°. Nos prædicta non spectare tanquam vehicula seu media *transmittendi* dogmata ab ævo in ævum, sed tantum ut *testimonia coætaneæ fidei Ecclesiæ*. 2°. Non igitur habemus Concilia Generalia tanquam infallibilia, aut etiam quavis supernaturali auctoritate aut privilegio prædita. Simili modo Patres ut meros testes, sensu ordinario et naturali, habemus. Quod autem, accedente Ecclesiæ testimonio probante, vim testificandi specialem habeant hic non dicimus nec supponimus.

29. IX. Sedulo autem testimonia Patrum de fide Ecclesiæ ab eorum privatis opinionibus et argumentationibus discernenda sunt. Quod quomodo efficiendum est

pendet ex inspectione modi loquendi et aliorum adjunctarum, secundum communes regulas rite interpretandi quemvis auctorem, ejuscipie sensum et scopum genuinum comparandi.

Sectio Quinta.—DE INSTITUTIONE ECCLESIAE.

30. Apud omnes qui se Christianos vocant convenit Christum novam et distinctam religionem instituisse, quam qui profiterentur, sive in unam societatem universalem colligarentur, sive in plures societates independentes dividerentur, sive, si fieri posset, singuli individui a se invicem independentes ad nullam societatem sacram etiam minimam conficiendam adigerentur, attamen omnino distincti essent ab omnibus aliis sectis, v. g. paganis, judæis, &c. Pariter convenit finem hujus institutionis fuisse sanctificationem et æternam salutem hominum.

31. Utrumque probatur ex innumeris locis N. Testamenti. “Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non praevalent adversus eam Matth. xvi. 18. “Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti : docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi Ibid., xxviii. 19. “Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus 1 Cor. xii. 13. “Caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum.” Hi et alii textus eodem tendentes infra evolventur. Interim dictum n. 30, prima facie et manifesto ex iis sequitur.

32. Ex testimonio etiam historiae clarissimo, et a nemine unquam in dubium revocato, constat Christianis-

mum. seu multitudinem Christum et ejus religionem profitentem, sub ipso Christo inchoatum et in suis principiis statutum, deinde sub Apostolis evolutum et ampliatur, perpetuo usque huc durasse. Qui hæc plene declarata velit adeat Lieberman, P. 1, C. 1, A. 1; Perrone, de Locis, P. 1, n. 14, &c.; Bülsan, § 186.

33. Ne quæstiones graves postea excutiendae præmature aperiantur, satius esse putamus intra prædictas generales propositiones, ab omnibus admittas, impræsentiarum sistere. Statim atque ad evolvendum et determinandum sensura generalis propositionis de Institutione Ecclesiæ deveniunt adversarii, in diversas sententias hæreticales dilabuntur. Quidam dicunt Christum non unam universalem Ecclesiam fundasse aut fundare voluisse, sed tantum normam tradidisse juxta quam formandæ essent particulares ecclesiæ. Alii dicunt non esse de jure divino necessarium quodvis vinculum *doctrinale* quo Christiani inter se conjungerentur, sed tantum vinculum quod vocant charitatis. Omnes dicunt quod, etsi adhuc existât Ecclesia vera ab Apostolis usque continuata, attamen eam non esse Ecclesiam Catholicam, vel hanc solam non esse Ecclesiam veram et Apostolicam, et possibile esse Ecclesiam Apostolicam in deterius mutatam esse. Imo

* Hic semel pro semper notare velim quod cum dico aliquam opinionem, &c., esse ab omnibus Protestantibus admittam aut ab omnibus Protestantibus rejectam, sæpius significo ab omnibus moraliter, seu fere omnibus, aut saltem ab omnibus cum quibus specialiter in hoc opere disputamus, aut qui rationi non sunt penitus impervii. Quidam sunt se Christianos vocantes qui revera infideles sunt. Alii sunt fanatici adeo insani, quibus nullum opinionis monstrum, modo satis sit anticatholicum, displicet. Vel nunquam vel rarissime aut hos aut illos in sequentibus contemplamus.

multi, ut puto, fere omnes dicunt omnes Ecclesias nunc existentes, tum quoad fidem tum quoad alia, magis vel minus a puritate Ecclesiæ Apostolicæ descivisse.

Sectio Sexta.—DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE.

34. Non investigatione mere philosophica, aut juxta id quod nobis rem a priori, solo lumine rationis et secundum nostras ideas perfectionis et convenientiæ, considerantibus, aptius et pulchrius esse videretur, quæstio hæc de Constitutione Ecclesiæ solvenda et enucleanda est. Ecclesia enim institutio est divina, modo supernatural!, libere a Deo formata. Ex sola ergo Dei revelatione, ministrante quidem et opitulante ratione, eam qualis sit rite dijudicare possumus. Hujus observationis, etsi satis obviæ et ad singulas Disputationes sequentes pertinentis, non semper rationem habere videntur auctores quidam, in theorias et incertas et inutiles excurrentes.

35. Catholicam ideam constitutionis Ecclesiæ, postea plenius describendam et defendendam, hic generaliori tantum modo delineare intendimus. Quæ sint adversariorum sententiæ ex sequentibus Disputationibus colligendum erit.

3G. Ex innumeris Scripturæ et Traditionis locis, in quibus variis modis exhibentur proprietates et dotes Ecclesiæ, constat I. multa charismata supernaturalia et in se omnino spiritualia et invisibilia ei impertita fuisse. Talia sunt imprimis Fides, Spes, Charitas ; deinde ceteræ virtutes, cum donis Spiritus Sancti, et omnibus gratiis internis, sive per sacramenta sive aliter collatis, et gratum facientibus et gratis datis. Constat II. omnibus hisce donis respondere varia externa signa, quibus ipsa manifestentur, et etiam forsitan impertiantur et diffun-

dantur. Sic prædictæ virtutes theologicæ innumeris modis, et per actus individuorum et in publico Ecclesiæ cultu manifestantur. Sic etiam potestas spiritualis sive ordinis sive jurisdictionis, apparet in variis modis in quibus et confertur et exercetur. Sic denique vigor ille Apostolici ministerii, qui, juxta verba Christi (Mattii, xxviii. 19, 20), perpetuo in Ecclesia manebit, se quotidie prodit in confirmatione justorum, in conversione peccatorum et acatholicorum. Constat IIP. et illa interna charismata et hæc externa signa, non in abstracto, sed in concreto et in subjecto existere, sciz., in membris Ecclesiæ. Imo generatim loquendo, in ipsis individuis ut sic spectatis (seclusis hypocritis omnino larvatis, qui numero pauci necessario sunt), sicut interna dona non resident absque aliqua, et plerumque satis clara sui manifestatione, sic nec extemæ manifestationes sunt sine internis donis.^f Quoad Ecclesiam vero ipsam ut socie-

* “ Tenemur autem tam circa Charitatem erga Deum, quam circa Fidem, et Spem, actus elicere, uti constat ex propositionibus proscriptis Attamen opus non est, ut hi actus reflexe, et explicite fiant cum intentione præcepto satisfaciendi : sed satis est si exercite fiant, nempe ut actu fiant, licet ex alio fine, nempe ad abjiciendam tentationem . . . Ita etiam actus charitatis sunt omnes uniformitatis actus divinæ voluntati, et omnes virtutes exercitæ ad Dei complacentiam. Ita pariter sunt actus Fidei onere, Crucifixum adorare, signare se signo crucis, &c. Quare bene ait Card, de Lugo, quod ille qui semel amplexus est fidem Christianam (aut vixerit, ego addo, Christiane, saltem præcepto paschali satisfaciendo) non debet dubitare, quin satisfecerit præcepto Fidei : et idem intelligendum de præcepto Spei S. Liguori, Homo Apost., T. 4, n. 13.

t In ipsis peccatoribus etiam gravioribus existant charismata fidei et spei (saltem fidei); atque exterius, etsi minus perfecte, vere tamen, variis modis manifestantur. Vid. notam supra ex S. Liguori.

tatem et unum corpus morale spectatam, omnia prædicta charismata perpetuo et plenissime possidet,"perpetuo et clarissime manifestat. "Christus in præsentī vita completur omnibus suis membris : singuli enim fideles conferunt ad Christi complementum : completur, inquam, quoad omnia, id est, quoad omnes gratias, virtutes ; non quod singuli habeant omnes, sed quod singuli singulas ; ita ut simul collecti habeant omnes : nam in hoc excellit charitas, in illo patientia, in isto castitas, et sic singuli singularum virtutum excellentiam et plenitudinem ipsi Ecclesiæ, quæ corpus Christi est, ac consequenter ipsi Christo, conferunt A Lapide in verba " Qui omnia in omnibus adimpletur Ephes, i. 23.

37. Dona interna duplicis sunt generis. Quaedam enim ex illis sunt omnibus membris Ecclesiæ communia ; et, si ab omnibus non habeantur, saltem pro omnibus dantur et ab omnibus haberi possunt. Hæc ordinantur directe ad sanctificationem eorum, a quibus possidentur : talia sunt gratia actualis, præcipue vero habitualis seu sanctificans, virtutes fidei, spei, charitatis, &c. Alia vero non sunt omnibus communia, sed tantum a quibusdam haberi possunt, et ab his in diversis gradibus ; et hæc ad sanctificationem aliorum directe ordinantur. Hoc genus donorum comprehendit potestatem ordinis et jurisdictionis, ad baptizandum, ad remittenda peccata, ad sacrificium offerendum, ad prædicandum verbum Dei, ad leges ferendas, &c. &c. Hæc omnia unum finem communem habent, sciz., conservationem et amplificationem Ecclesiæ, et sanctificationem et perfectionem ejusdem membrorum ; in quem finem quædam ex illis magis alia minus proxime concurrunt.

38. Omnia prædicta dona interna et supernaturalia

perfecte et perpetuo, ut dixi, in Ecclesia manent. Per hæc in Domino lætatur et in Domino contristatur. Per hæc sponsatur Christo in sempiternum in justitia et iudicio et in misericordia et in miserationibus. Per hæc in æternum Una Sancta Catholica et Apostolica est ; et, quæ alioquin sterilis esset, parit filios multos, et quæ infirma est secundum carnem confundit fortia, et porta? inferi non prævalebunt adversus eam (Osee, ii. 19 ; Isai, liv. 1 ; 1 Cor. i. 27 ; Matth. xvi. IS). Hisce minutis, eadem ratione ipsa in interitum vergeret : hisce demptis, illico interiret.

39. Non ergo sine ratione quidam Theologi hæc omnia dona simul sumpta, et gratias gratum facientes et gratis dadas, esse *Animam* Ecclesiæ docent. Ita *Cercia*, qui, post recensita quatuor dona Fidei, Spei, Charitatis et Gratia? sanctificantis, pergit :—“ Quinto loco revocantur ad animam Ecclesiæ reliqua omnia interna dona Spiritus Sancti, quibus Ecclesiæ sanctitas et actuositas amplificatur, et efficacior redditur. Item omnis facultas atque potestas, qua Ecclesia interius instructa in actus suæ missionis consentaneos externe prosilit. Hæc omnia sunt pars interna, spiritualis, activa, et principium omnis motus in Ecclesia. Unde eadem jure anima vel forma Ecclesiæ nuncupata sunt, cum forma? seu ani? officio amussim fungantur. Sect. 2, Lcct. 4, vol. i. p. 94. In hanc sententiam, ante visum aut editum illud opus

* Per gratias gratis datas non solum hic significamus istas novem quas ex 1 Cor. xii., colligit D. Thomas, sed etiam omnes alias (v. g. potestatem ordinis, jurisdictionis, &c.), quæ ad sanctificationem aliorum dantur, sive hæc sub illis novem, seu aliqua ex illis, ordinari possint, sive non. Vid. *Suarez*, de Grat. Prolog. 3, S. 5. n. 64, &c.

Cercia, nos multi&n inclinavimus ; et eam etiam hodie satis probabilem putamus. Equidem inter Theologos Catholicos nec est nec esse potest hic quæstio de re, sed tantum de rei nomine aut divisione aptiori, et de modo loquendi. Attamen, materia iterum perpensa, putamus non esse a communi modo loquendi recedendum ; secundum quem Fides, Spes et Charitas (cum aliis quæcunque in illis includuntur) constituunt animam Ecclesiæ). Etenim hæc tria sunt quæ in se immediate et proxime dant vitam Ecclesiæ ; cetera autem sunt quasi instrumenta et media ad hanc vitam perpetuo pariendam, conservandam, æugendā. Talis est Anima Ecclesiæ. Et quoniam in membris et per membra ejus, prout in unum coagmentantur et hanc unam societatem ordinatam efficiunt, hæc charismata visibilia fiunt, jure membra Ecclesiæ sic sumpta, i. e. sub conceptu societatis unius hæc interna visibilia reddentis, appellantur *Carpus* Ecclesiæ. Hisce duobus in unum et quasi hypostatice conjunctis, constituitur unice una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia Dei. Jam satis significatum est quod, sicut anima Ecclesiæ non existit nisi in corpore,

■.C

* Quicquid dicatur de quæstione scholastica an realiter distincta sit charitas a gratia sanctificante, certissimum est unam sine altera nunquam esse posse. Proinde non est opus addere fidei spei et charitati gratiam sanctificantem : hæc enim supponitur cum his adesse.

f Sed quoniam vita Ecclesiæ adæquate sumpta non in sola sanctitate, ut ita dicam, passiva, sed etiam in ista supernaturali, activa energeia, qua agit erga suos et erga extraneos ; priores docendo, regendo, sanctificando, &c., posteriores convertendo, debellando, &c., nonne adhuc dici debet dona gratis data, quæ istam ei energeiam perennem et infallibilem impertiuntur, catenas ei vitam impertiri, et ergo de anima ejus esse ?

ita nec corpus esse potest sine anima : est corpus essentialiter *vivum*.

40. Ex dictis sequitur esse in corpore Ecclesiæ partem superiorem quæ cetera membra regat, doceat, et erga illa varia munia spiritualia exercent. In quot et quos gradus hæc pars dividatur, et quæ sint singulorum officia, &c., partim in præsentī Tractatu de Ecclesia, partim in Tractatibus de Eucharistia, de Ordine, &c., declaratur.

41. Hactenus de ipsa anima et corpore in quo consistent disputatum est : nunc declarandum est quid sit *pertinere ad animam aut ad corpus Ecclesiæ*. Qui donis fidei, spei et charitatis informatur ad animam Ecclesiæ pertinet, et quidem perfecte—in qua tamen perfectione innumeri sunt gradus. Participat enim de ea vita qua ipsa Ecclesia vivit. Qui corpori Ecclesiæ vere et sincere conjungitur per ea signa externa coadunantia quibus illa se ut Ecclesiam veram oculis omnium prodit, hic pertinet ad corpus Ecclesiæ. Vincula autem conjunctionis cum Ecclesia sunt in Fide, Cultu et Regimine ; prout infra D. 6, late ostendetur. Hæc certa sunt apud omnes Catholicos.

42. Quæstiones autem plures sunt de iis qui pertinent ad Ecclesiam, quorum quædam dogmaticæ sunt et contra hæreticos, aliae vero inter Catholicos adhuc disputata', necdum ab Ecclesia definitæ, nunquam forsitan definiendæ. De his in sequenti Disputatione *De Membris Ecclesiæ*. et alibi, tractabitur. Interea tenenti opinionem supra n 39, relatam, sciz., animam Ecclesiæ non solum in gratia sanctificante sed etiam in gratiis gratis datis constare, si quis objiciat quærendo, Quomodo dici potest simplicem fidelem justum pertinere ad animam Ecclesiæ perfecte ; cum non

participet in iis charismatibus quæ a solis præpositis in Ecclesia possidentur, v. g. in gratia ordinis? Huic objectioni responderi potest, talem fidelem in istis gratiis vere participare, etsi modo diverso ab eo in quo participant præpositi: participat enim ut subjectum et passive, fructum eorum percipiendo. Frequentat sacramenta et conciones, se subjicit jurisdictioni pastorum, ab iis dirigitur, &c., et sic charismata hæc in illum vere, copiose et salubriter influunt.

43. Si iterum objiciatur, secundum illam opinionem (seu, si velis, modum loquendi), Episcopos et Presbyteros apostatas dicendum esse aliquo modo, etsi imperfectissimo, ad animam Ecclesiæ pertinere, cum ordinis potestatem retineant: quod dictu inconueniens videtur? Resp. 1°. Nescio an sit adeo inconueniens admittere eos isto valde imperfecto modo ad animam Ecclesiæ pertinere. Resp. 2°. Melius videtur dicere eos ad Ecclesiæ animam nullo modo, nec etiam imperfectissimo, pertinere. Neque enim vitam habent nec principium vitæ: et potestas ordinis, quam retinent, non est quoad illos fons vitæ sed mortis; et manet character sacramentalis, non ut signum gloriæ sed opprobrii, in confusionem et iram in die iræ. Vid. Lugo, de Sacram, in Genere, D. 6, n. 74.

DISPUTATIO TERTIA.

DE MEMBRIS ECCLESIAE.

Sectio Prima : Introductoria.

Sectio Secunda : An Soli Perfecti aut Justi sint Membra Ecclesiae.

Sectio Tertia : Solvuntur Objectiones.

Sectio Quarta: An Omnes et Soli Prædestinati sint Membra Ecclesiae.

Sectio Quinta : An Haeretici aut Schismatici sint Membra Ecclesiae.

Sectio Sexta : An Filii haeticorum Infantes, valide baptizari, sint Membra Ecclesiae.

Sectio Septima : An non Baptizari possunt esse Membra Ecclesiae.

Sectio Octava : An Excommunicari sint Membra Ecclesiae.

DISPUTATIO TERTIA.

DE MEMBRIS ECCLESIAE

Sectio Prima.—INTRODUCTORIA.

1. **T**ERBA *Membra Ecclesiae* duplici sensu usurpantur. Vna a Theologis, sciz., per oppositionem ad Caput, ut cum dicimus Romanum Pontificem habere supremam et immediatam jurisdictionem super omnia membra Ecclesiae. Sub hoc verborum conceptu Summus Pontifex non est Membrum Ecclesiae, sed Caput: imo neque Episcopus aliquis vocatur Membrum Ecclesiae particularis seu dioceseos ipsi concreditæ, sed Caput. Secundo, loquuntur de membris Ecclesiae per oppositionem ad eos qui sunt extra Ecclesiam. Sub hoc conceptu S. Pontifex est Membrum Ecclesiae; et sub hoc conceptu de membris Ecclesiae in hac Disputatione loquimur.

2. Præter controversias polemicas dogmaticas cum hæreticis, et alias domesticas quæ inter nostros Theologos libere habentur, et in quibus conclusiones sunt vel prorsus dubiæ, vel magis minusve probabiles, hic simul et semel excutere operæ pretium esse ducimus. Sic enim evitabitur confusio illa quæ a certis et incertis, definitis et libere disputatis, non rite secretis haud raro oritur. Insuper seorsum ita et sine admixtione disceptationum

domesticarum, quæ dogmatica et polemica sunt, quantum fieri potest, tractabuntur.

3. Plures de materia hac apud hæreticos antiquos et mediævos et primos Novatores extiterunt errores, de quibus vid. Bellarmin. L. 3, C. 4, et seqq. ; Sardagna, n. 75, &c. ; Passaglia, L. 3, n. 687. Vix unus est, si etiam unus, ex istis erroribus qui inter sectas hodiernas, etsi alius plures alius pauciores, suos non habeat defensores. Sufficiat nobis ipsos errores perstringere, quin tempus teramus satagendo singulos patronos recensere, et singulis suos proprios errores adseribere.

Sectio Secunda.—AN SOLI PERFECTI AUT JUSTI SINT
MEMBRA ECCLESIAE.

4. Qui inter Protestantes harum regionum tenent doctrinam justitiæ imputativæ seu imputatæ, non distinguunt, ut puto, inter justos et perfectos, sed omnem justum pro perfecto habent. Sed an ita revera isti sentiant necne nihil refert. Probato enim Ecclesiam non constare ex solis justis, a fortiori probatur eam non constare ex solis perfectis. Solos justos esse membra Ecclesiæ non omnes tenent Protestantes ; multi tamen, præsertim inter sectas Dissidentium. Expositionem eorum doctrinæ vid. supra, D. 2, n. 17. Eundem errorem tenuerunt Jansenistæ, aut saltem quidam ex illis, ut jam videbitur.

5. Propositio L—Ecclesia non constat ex solis justis aut
PERFECTIS, SED ETIAM EX IMPERFECTIS ET INJUSTIS.

G. Hæc Propositio est dogma Catholicum, imo de fide Catholica, prout constat ex manifesta fide Ecclesiæ, ex manifesto sensu Scripturæ, in quo omnes conveniunt

Doctores Catholici, et ex iteratis definitionibus Ecclesiae. Implicite definita fuit contra Wickleffum et Huss (infra n. 81), explicite contra Quesnellum et synodum Pistoriensem. Propositiones Quesnellii sunt :—“72. Nota Ecclesiae Christianae est, quod. sit Catholica, comprehendens et omnes Angelos coeli, et omnes electos et justos terrae, et omnium seculorum. 73. Quid est Ecclesia nisi coetus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam futuri seculi? 74. Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero sanctos ut membra. 75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona; unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator. 76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei: quia omnes electi et justi omnium seculorum illam componunt. 77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre et Christum pro capite. 78. Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.” Propositio synodi Pistoriensis cum ejusdem censura haec est :—“ Doctrina quae proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate*; intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae

* 1

K

non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate ; *Hæretica.*—Proposit. 15.

PROBATUR PROPOSITIO EX S. SCRIPTURA.

7. *Primo.* Ex parabola boni et mali fructus simul crescentis et simul perpetuo manentis in Ecclesia. “ Simile factum est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.....Servi autem dixerunt ei : Vis, imus et colligimus ea [zizania] ? Et ait : Non.....Sinite utraque crescere usque ad messem.....Qui seminat bonum semen est Filius hominis ; ager autem est mundus ; bonum vero semen, hi sunt filii regni ; zizania autem filii sunt nequam ; inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus ; messis vero consummatio seculi Matth. xiii. 24-30, 37—39. In ista parabola L bonum et malum semen sunt justus et injustus, prout textus diserte affirmat. II. Et sunt commixti usque ad finem mundi, prout textus pariter affirmat. III. Et sunt commixti in eadem societate seu Ecclesia ; quod patet 1°, ex eo quod malum semen non seminatur aut crescit separatim a bono sed “ *in medio tritici.*” 2°. Periculum ne, in eradicandis zizaniis, eradicaretur “ *simul cum eis et triticum,*” ostendit quam arcte utraque consociantur. 3°. Angeli Christi “ colligent *de regno ejus* omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem” (vers. 41). Ergo iniqui, ante istam separationem fuerunt *de regno*, in regno Christi, i. e. Ecclesia. 4°. Per totam parabolam triticum et zizania plane faciunt unam segetem, non duas ; ita ut singuli culmi tritici aequè simul cum

zizaniis crescebant ac cum ceteris culmis triticeis. Hoc ad membra Ecclesiae translatum plane significat ea esse membra unius et ejusdem Ecclesiae.

8. *Secundo.* “ Simile est regnum coelorum sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi: exhibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum,” &c. : Matth. xiii. 47, &c. Per “ regnum coelorum” ibi manifeste significatur Ecclesia. Sed sive ad literam significetur Ecclesia, sive, ut quidam volunt, Evangelium sive ipse Christus, in idem recidit. Nam quos Evangelium aut Christus congregat, in Ecclesiam congregat. Pisces sunt homines, et sunt homines congregati, et sunt homines congregati in unum, congregati in unam sagenam, in unum regnum caelorum in terris. Pisces ergo sunt membra Ecclesiae. Ergo inter illa sunt mala sicut et bona, a fortiori imperfecta sicut et perfecta. Insuper, mali et boni mixti simul vivunt in terra ; separatio enim non fit nisi in consummatione seculi. Simili modo argumentari licet ex parabola convivii nuptialis (Matth. xxii. 2, &c.), ex parabola decem virginum (ibid. xxv.

9. *Tertio.* Ex Matth. xviii. 15, &c., graviter peccantes, si post correctionem fraternam ad meliorem frugem se non recipiant, Ecclesiae denunciandi sunt ; et, nonnisi postquam Ecclesiae obedire contumaces recusaverint, ab ea sunt praecidendi. Ergo usque ad illam excommunicationem sunt membra Ecclesiae. Quaestionem ibi esse de graviter peccantibus constat tum ex praescripta gravi ratione agendi erga illos, tum ex eo quod nonnisi gravi-

ter peccans Ecclesiæ denuntiandus est et ab ea præcedendus:—“Quod si non audierit eos, die Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.”

10. *Quarto.* Ipso tempore Apostolorum in Ecclesia fuerunt peccatores, imo peccatores gravissimi, nec numero pauci. Ergo non ex solis justis constat Ecclesia. Probatur antecedens. Fornicarius Corinthius (1 Cor. v.) graviter peccavit: et eodem capite haud obscure insinuat Apostolus et alios fuisse fornicarios apud Corinthios. Illi *inulti* qui Eucharistiam indigne sumpserunt, iudicium sibi manducantes et bibentes (ibid. xi. 29, 30), graviter peccaverunt. Sed hi omnes erant membra Ecclesiæ. Etenim I. loquitur Apostolus de illis ac de ceteris, tanquam in una et eadem Ecclesia inter se et cum seipso coadunatis:—“Omnino auditur *inter vos* (*ev vμiv, in vobis, in vestra congregatione*), fornicatio—*Convenientibus vobis in unum* alius quidem esurit, alius autem ebrius est ideo *inter vos* multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi itaque *fratres mei, cum convenitis.*” II. S. Paulus voluit fornicarium tolli *de medio Corinthiorum*—“ut tollatur de medio vestrum”—et ipse illum excommunicavit, seu potius excommunicari iussit (infra, n. 24); quæ ambo supponunt illum adhuc fuisse membrum Ecclesiæ.

11. *Quinto.* “In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam 2 Tim. ii. 20. Isti magnæ domui Ecclesiam comparari, et proinde per vasa significari membra Ecclesiæ, ex ipso nomine constat. Vel enim per domum significatur Ecclesia vel mundus. Sed Ecclesia sæpius in N.

Testamento vocatur nomine domus (D. 2, n. 7), mundus autem nunquam. Accedit consensus plurium criticorum Protestantorum, Litton, p. 331, Bloomfield, Bengel, Rosenmüller, Whitby in locum. Jamvero si vasa sint membra Ecclesiae, patet vasa pretiosa et vasa vilia, vasa in honorem et vasa in contumeliam, significare justos et injustos.

12. *Sexto*. S. Paulus et alii Apostoli, etsi in Epistolis suis tam frequenter sermonem habeant de peccatis et peccatoribus, et perpetuo fideles, præmiis et pœnis summis et æternis propositis, ad justitiam sectandam et peccata fugienda, enixe adhortentur et urgeant; nusquam tamen de peccatoribus loquuntur tanquam, ut sic, ab Ecclesia præcisis, alienis, externis, non amplius ad coetum fidelium pertinentibus; sed solos apostatas et ejectos ab Ecclesia extorres habent. Jamvero si quodvis peccatum mortale, aut ingens peccatum mortale, aut habitus peccati peccantem extra Ecclesiam poneret, certissime de hoc tanto tam funesto effectum peccati non altum siluissent omnes scriptores inspirati — et imprimis et præsertim cum ceteros effectus, gratiæ privationem, mancipationem diabolo, mortem æternam, tam vivide et frequenter depingant.

PROBATUR PROPOSITIO EX SS. PATRIBUS.

13. “ Possumus servos ejus [Christi] dicere, qui habeant spiritum timoris in servitute; et spiritualia magis desiderant, quam teneant. Ancillas vero eas animas appellare, quæ adhuc corpori terræque sunt deditæ. Vernaculos quoque illos qui sunt quidem de Ecclesia, et servos et ancillas, de quibus diximus, antecedunt: necdum tamen libertate donati sunt, nec nobilitate a Domino. Sunt

autem et alii in familia Ecclesiastæ, instar boum et ovium, propter opera et simplicitatem : qui absque ratione et scientia Scripturarum laborant quidem in Ecclesia, sed necdum ad id pervenere, ut homines esse mereantur, et redeant ad imaginem Conditoris.”—S. Hieronymus, in Ecclesiasten, ii. 7 (torn. 2, pag. 725).

“Arca Noe Ecclesiæ typus fuit, dicente Petro Apostolo : * In Arca Noe pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod et nos nunc similis formæ baptismi salvos facit’ [1 Petr. iii. 20]. Ut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt : ut ibi pardus et hædi, lupus et agni, ita et hic justus et peccatores, id est, vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur.”—*Idem* contra Luciferian., n. 22 (torn. 4, pag. 302).

“Quomodo caput plurima sibi habet membra subjecta ; e quibus nonnulla sunt vitiosa et debilia ; ita et Dominus noster Jesus Christus, cum sit Caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes qui in Ecclesia congregantur, tam sanctos videlicet quam peccatores ; sed sanctos voluntate, peccatores vero sibi necessitate subjectos.”—*Idem*, in Epist. ad Ephes. C. 2 (torn. 4, p. 336).

“Si arca figurabat Ecclesiam, videtis utique quia necesse est ut in isto diluvio sæculi *utrumque genus contineat Ecclesia*, et corvum et columbam. Qui sunt corvi ? *qui sua quærunt*. Qui columbæ ? qui ea quæ Christi sunt quærunt ?” S. Augustinus, in Joannis Evangel. Tract. 6, n. 2 (tom. 3, P. 2, pag. 241).

“Quadragesima diebus arca in diluvio fluctuavit, quæ arca Ecclesia est : lignis imputrabilibus facta ; ligna imputrabilia sunt animæ sanctorum et justorum : habens tamen animalia munda et immunda ; quia quamdiu vi-

vitur in hoc sæculo, et per baptismum tanquam per dilu-
vium Ecclesia purgatur, *non potest nisi habere bonos et
malos* : ideo arca illa et munda et immunda habebat.
Sed posteaquam exivit inde Noe, non fecit sacrificium
Deo nisi de mundis animalibus. Unde debemus intelli-
gere quia *in arca ista et munda et immunda animalia
sunt*, sed post diluvium istum non accipit Deus nisi eos
qui se mundaverunt. Ergo totum hoc tempus quod vi-
detur, Fratres, pro quadraginta diebus habetote. Totum
hoc tempus, quamdiu hic sumus, arca est in diluvio :
quamdiu baptizantur Christiani et per aquam mundan-
tur, natare videtur arca in fluctibus.”—*Idem*, Serm. 264,
n. 5 (torn. 5, pag. 750).

Nihil clarius esse potest. 1°. Arca est Ecclesia. 2°.
Quadraginta dies quibus arca erat in diluvio sunt to-
tum tempus quo Ecclesia est militans in terra. 3°. Sicut
arca toto tempore diluvii continebat munda et immunda
animalia, et nonnisi post diluvium facta est separatio ;
ita et Ecclesia, quamdiu in hoc mundo militat, bona et
mala membra habebit, &c.

“ Veniant in mentem arca, continens paleas
et frumentum ; et retia, quibus inclusi sunt pisces boni
et mali ; et arca Noe, in qua et immunda et munda
erant animalia : et videbis Ecclesias interim hoc tempore
usque ad ultimum iudicii tempus, *non solum oves et boves
continere*, id est sanctos laicos et sanctos ministros, *sed
‘ insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris,
qui perambulant semitas maris.’* Pecora enim campi
congruentissime accipiuntur *homines in carnis voluptate
gaudentes* ; ubi nihil arduum, nihil laboriosum adseen-
dunt. *Campus est enim lata via, quæ ducit ad interitum?*
—*Idem*, in Psalm, viii., n. 13 (tom. 4, pag. 33).

“ Sicut lilium, inquit, in medio spinarum, ita proxima mea in medio tiliarum. Numquid dixit, *in medio alienarum ? Eon, sed in mediofiliarum.* Sunt ergo *filiae malce*, et inter illas est lilium in medio spinarum. Itaque illi qui sacramenta habent, et bonos mores non habent, et Dei dicuntur, et non Dei ; et ejus dicuntur et alieni : *ejus, propter sacramentum ; alieni propter proprium vitium.* Ita et *filiae alienae : filiae, propter formam pietatis ; alienae, propter amissionem virtutis.*”—*Idem*, in Psalm, xlvii. n. 8 (ibid. pag. 314). Similia habet in Psalm, xcix., n. 8 (ibid. pag. 807).

Tota enim Ecclesia [sciz. (ex praecedentibus) in universa terra, et eorum qui sunt fuerunt et erunt] constans ex *omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra sunt Christi, habet illud caput positum in caelis quod gubernat corpus suum : et si separatum est visione, sed annectitur caritate [sciz. qua suam sanctam Ecclesiam diligit et ab ea diligitur].*”—*Idem*, in Psalm. Ivi., n. 1 (ibid. pag. 396).

“ Ad dexteram Patris sedet et interpellat pro *nobis* [non sane pro solis sanctis], caput nostrum est. Si ille caput est, *nos* [non soli sanctij membra sumus : *tota Ecclesia ejus quae ubique diffusa est, corpus ipsius est, cujus est ipse caput.* Non solum autem *fideles* qui modo sunt, sed et qui fuerunt ante nos, et qui post nos futuri sunt usque in finem saeculi, *omnes* ad corpus ejus pertinent.”—*Idem*, in Psalm. Ixii., n. 2 (ibid. pag. 453).

“ Ecclesia deorsum *in omnibus fidelibus, Ecclesia sursum in omnibus Angelis.*”—*Idem*, in Psalm, cxxxvii., n. 4 (ibid. pag. 1141).

“ Et deinde dicit, quid interea per totum hoc tempus, dum jam resurrexit et adhuc cum Patre est, patiatur hic

per *commixtionem peccatorum in corpore suo*, quod est Ecclesia, et per *separationem hæreticorum* [i. e. per ipsam rebellionem qua ab Ecclesia separantur, et quæ ex ea sequuntur adversus illam demolitiones.]”—*Idem*, in Psalm, cxxxviii., n. 26 (ibid. pag. 1156).

“Sunt mali *in Ecclesia* pertinentes ad Esau ; quia et ipsi filii Rebeccæ, *filii matris Ecclesiæ, de utero ipsius nati, et pilosi in peccatis carnalibus perseverantes, de illius tamen utero nati*. Habent ergo a rore coeli, et a fertilitate terræ, a rore coeli omnes Scripturas, omnem sermonem divinum: a fertilitate vero terræ, omnia visibilia sacramenta; visibile enim sacramentum ad terram pertinet. Hæc omnia *communia* habent *in Ecclesia* et boni et mali.”—*Idem*, Serm. 4, de Jacob et Esau, n. 31 (torn. 5,

“Luctabantur [Jacob et Esau] in ventre matris suæ, et dictum est Rebeccæ, cum ibi luctarentur, Duo populi sunt in utero tuo. Duo homines duo populi : bonus populus, malus populus : sed tamen in uno ventre luctantur. *Quanti mali sunt in Ecclesia, et unus uterus portat, donec in fine discernantur : et boni adversus malos reclamant, et in unius visceribus utrique luctantur.*” *Idem*, in Joannem, Tract. 11, n. 10 (Torn. 3, Pars. 2, pag.

“*In congregatione Christiana*, quantum, pertinet ad participationem et communionem sacramentorum, multiplicati sunt super numerum. Alius est ergo numerus : alii super numerum. Numerus est, de quibus dicit Apostolus, Novit Dominus qui sunt ejus. Super numerum autem : Quoniam in magna domo non solum vasa sunt aurea et argentea, sed et lignea et fictilia ; alia quidem in honorem, alia in contumeliam. *Numerus ergo, vasa*

in honorem: super numerum, vasa in contumeliam—*Idem*, Senn. 15, n. 2 (torn. 5, pag. 61).

“Jesus Christus Caput est Ecclesiæ, et est corpus ejus Ecclesia, et in ejus corpore unitas membrorum et compago caritatis, tanquam sanitas existit. Quicumque autem in caritate friguerit, infirmatur *in corpore Christi*. Sed potens est ille, qui jam exaltavit caput nostrum, etiam *infirma membra* sanare : dum tamen non nimia impietate præcidantur, sed *hæreant corpori* donec sanentur. Quicquid enim adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est : quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest.”—*Idem*, Serm. 137, n. 1 (ibid. pag. 462).

Nota de hoc textu, caritatem non hic affirmari esse compaginem qua quis hæret Ecclesiæ, ut *verum* membrum, sed ut membrum omnino *sanum*—qui enim a caritate exciderunt adhuc Ecclesiæ hærent. Et nos tenemus caritatem esse vinculum necessarium, non ut aliquis vere jungatur Ecclesiæ, sed ut jungatur non solum vere sed *perfecte*.

“Neque miremini multitudinem Christianorum malorum qui *Ecclesiam implent*..... In Ecclesia hujus temporis possunt esse nobiscum : in illa vero, quæ post resurrectionem futura est, congregatione sanctorum esse non poterunt. Ecclesia enim hujus temporis areæ comparatur, habens mixta grana cum paleis, *habens permixtos bonis malos* ; habitura post judicium sine ullis malis omnes bonos.”—*Idem*, Serm. 223, n. 2 (ibid, pag. 673).

“Misit pater-familias servos suos parata cœna, et adduxerunt quos invenire potuerunt, bonos et malos, et inpletæ sunt nuptiæ discumbentibus. *Talis est modo*

Ecclesia, plena bonis et malis.—*Idem*, Serm. 250, n. 2 (ibid. pag. 718).

“Eadem pascua sub uno pastore et oves et hirci pascuntur, donec ut debita recipiant, segregentur.”—*Idem*, contra litteras Petiliani, L. 2, n. 110 (torn. 9, pag. 171).

Tot hæc loca, quibus alia addi possent, ex uno Augustino conguessimus, utpote qui ab adversariis tanquam oppositæ sententiæ patronus prædicatur.

Sectio Tertia. — SOLVUNTUR OBJECTIONES PRINCIPALES ADVERSUS PROPOSITIONEM PRÆCEDENTEM, ET ARGUMENTA AD EAM FIRMANDAM ALLATA.

14. *Object. I.* Contra argumentum, n. 7, ex Matth. xiii. confectum. Zizania non sunt injusti simpliciter, sed sunt hæretici ; qui, secundum Catholicos, saltem si sint hæretici publici, non sunt membra Ecclesiæ.

15. *Resp.* Concedo unum aut alterum ex Patribus (S. Augustinus retractavit), forsan non ad literam interpretantes, facere zizania hæreticos. Sed hæc opinio videtur omnino improbabilis. 1°. Nullum habet fundamentum in textu. 2°. Nullibi in Scriptura exhibentur hæretici ut cum fidelibus mixti, multo minus ut cum iis, ex positiva permissione, mixti permanenter usque ad finem mundi, ut hic zizania cum tritico ; sed e contrario, ut suo loco videbitur, a fidelibus prorsus sejuncti, et ab iis vitandi. 3°. Expresse in textu dicitur zizania significare peccatores simpliciter :—“Filii *nequam omnia scandala*, et eos qui faciunt *iniquitatem*.”

16. *Object. II.* Contra idem argum. Si zizania et triticum significant membra Ecclesiæ, justa et injusta, tunc ager, in quo seminantur et crescunt, significat ip-

sam Ecclesiam. Atqui ex vers. 38, ager est mundus, et ergo non Ecclesia.

17. *Resp.* Nego major. Ipsa zizania et triticum *sunt* Ecclesia. Significant enim *omnia* membra Ecclesiæ : quoniam adæquata divisio membrorum Ecclesiæ fit in justa et injusta. Omnia autem membra Ecclesiæ collective sumpta (prout hic zizania et triticum sumuntur) sunt Ecclesia ; efficiunt Ecclesiam, et Ecclesia ex iis constat (vide infra, n. 43). Ager vero est mundus, i. e. hæc universa terra, seu tota collectio hominum, inter quos ubique late diffunditur Ecclesia.

18. *Object.* III. Contra argumentum, n. 10, ex 1 Cor. v. et xi. allatum. Corinthii in his et aliis locis hujus Epistolæ increpantur ut imperfecti et inconstantes. Apostolus enim eos alloquitur non “ ut vitali gratiæ principio penitus destitutos, sed ut illud possidentes. Corinthii, cum omnibus suis defectibus, ut sancti et fideles in Christo fratres habiti sunt.”*—Lit t o n, p. 302-3.

19- *Tresp.* Ex Corinthiis multos vere justos, perfectos aut imperfectos, fuisse a nobis non negatur ; etsi, saltem de proportione numerics justorum et injustorum, opus non est ut aliquid affirmemus. Præter istos autem justos et alii fuerunt qui a gratia sanctificante omnino exciderunt, et tamen vere membra Ecclesiæ manserunt. Si hoc, uno tantum exemplo, evincatur, tota absolvitur controversia : plura autem exempla adduximus. Et

* “Did he address them as absolutely destitute of the vital principle of grace, or as possessing it, but needing exhortation to walk conformably thereto ? The latter is, unquestionably, the ground which he takes. The Corinthians, with all their defects, were supposed to be saints and faithful brethren in Christ.”

primo, quoad Corinthium incestuosum, reus erat fornicationis, quæ sive pro simpljci fornicatione, sive pro adulterio, sive pro incestu, sive pro alio quovis carnali commercio illicito, aut etiam fornicatione spirituali seu idololatria, accipiatur, ubique in Scriptura ut peccatum gravissimum et excludens a regno Dei damnatur. Quod vero non cessaverit esse membrum Ecclesiæ jam probatum est, et infra ulterius vindicabitur (n. 24). Eadem de indigne Eucharistiam sumentibus constat. Igitur sancti erant Corinthii, sed non omnes ; laude digni, sed non quoad omnia :—“ Laudo vos ? *in hoc* non laudo.”

20. *Urgetur* I. Sanctos fuisse Corinthios patet ex verbis Apostoli, iii. 1, ubi loquitur illis ut “ parvulis [πρροί , infantibus] in Christo.” Igitur 1°. Corinthii, sicut infantes, habebant principium vitæ, etsi imperfecte evolutum. 2°. Infans sane homo non est, sed nec corpus mortuum est, qualis peccator est.—Litton, *ibid.*

21. *Resp.* I. Apostolus alloquitur Corinthios ut societatem, ut Ecclesiam Corinthiacam :—“ Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi” (i. 2). Etsi plura membra illius Ecclesiæ parvula erant in Christo, adeo ut Ecclesia ut sic vocari potuit ecclesia parvulorum, propter longe majorem numerum hujusmodi membrorum ; non sequitur nullos fuisse qui *nec etiam* parvuli fuerunt, nullos fuisse qui *plusquam* parvuli fuerunt (vid. D. 5, n. 147).

22. II. Corinthii infantibus hac sola ratione comparantur, quod sicut horum intellectus infirmus est ad altiora et difficiliora scientiæ naturalis capienda, ita mens illorum ad sublimiora et magis spiritualia religionis Christianæ. Hoc constat ex ii. 14 :—“ Animalis autem homo non *percipit* ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est

illi, et non potest *intelligere* ; quia spiritualité! examina-
tur. Spiritualis autem *judicat* omnia, et ipse a nemine
judicatur.” Loquitur hic, ut ex ipsis verbis patet, de
carentia illuminationis plenioris supernaturalis ad *perci-
piendum, intelligendum, judicandum*. Similiter in contextu
ipsius loci in objectione allati, de homine carnali, qui,
quoad rem, idem est ac homo animalis :—“Et ego, fra-
tres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi
carnalibus. Tanquam *parvulis* in Christo, lac vobis po-
tum dedi, non escam : nondum enim poteratis : sed nec
nunc quidem potestis ; *adhuc enim carnales estis*.” De-
inde, ut ipsam radicem contentionum et schismatum
evellat, resumit institutionem et monita elementaria de
natura religionis Christianae, &c., prout distinguitur a
sapientia humana et elementis hujus mundi. Equidem
infantes erant Corinthii, non tantum quoad perfectiorei
scientiam et intelligentiam divinorum, sed etiam quoad
vitam et mores perfectiores : sed eos ut infantes sub priori
tantum ratione contemplatur Apostolus in textu iii. 1.
Sive ergo vivi erant sive mortui relate ad gratiam sanc-
tificantem, pariter infantes erant relate ad scientiam.

Hæc expositio per se solvit objectionem : attamen
prima responsio non est deserenda, sciz., quod Apostolus
alloquatur Corinthios ut corpus.

23. *Urgetur* II. Quoad Corinthium incestuosum, il-
lum S. Paulus, inter scribendum, ut e visibili commu-
nionē Ecclesiæ jam excisum habuit :—“Ego . . . jam
judicavi . . . qui sic operatus est . . . tradere hujus-
modi satanæ *vers.* 3–5. Sententia excommunicatio-
nis ab Ecclesia Corinthiaca postea lata tantum ratam
fecit sententiam prius a S. Paulo latam.—Litton, *ibid.*

24. *Resp.* I. Ergo Corinthius iste præcisus erat ab

Ecclesia per sententiam S. Pauli. Ergo non erat ante illam sententiam, aut ipso facto præcisus. Ergo etiam vivens in incestu omnibus noto, mansit membrum Ecclesiae, usque dum actu positivo expulsus est.

25. *Resp.* IL S. Paulus non excommunicavit Corinthium, sed statuit, decrevit, jussit eum a Corinthiis excommunicari; aut ad summum statuit, Corinthiis congregatis, se simul cum illis in spiritu præsentem excommunicationis sententiam laturum. 1°. Hæc sententia lata est in tradendo satanæ: Apostolus vero non dicit ⁴ *jam tradidi* aut *trado*, sed “*jam judicavi tradere.*” 2°. Loquitur de unica tantum traditione; neque existit ullum fundamentum dicendi duplicem fuisse. Quandonam vero et quomodo facta est illa traditio? In congregatione Corinthiorum postea habenda. En totum textum:—“Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, *congregatis vobis* et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere satanæ in interitum,” &c. 3°. Accedit consensus criticorum Protestantorum in interpretanda voce *judicavi* (*κεκρίκα*) “Ego statui, ego hic statuo et præcipio” [“I have determined, I do hereby determine and direct”].—Bloomfield, in loc. “Ego judicavi seu statui” [“I have decided or determined”].—Parkhurst in voc. Id. Robinson, in voc. 1, Whitby, in loc. “Non continuo Apostolus animadvertit in reum, sed *propositum sibi esse* dicit, si officio deesse pergerent Corinthii, apostolica sua uti potestate, tanquam si præsens esset, hominemque scelestum, quem ecclesia ipsa ejicere recusaret, exturbare Domini auctoritate.”—Rosenm. in loc. Juxta hos, vocabulum *Judicavi* non est hic intelligendum in sensu *ferendi sen-*

tentiam (quam significationem *κρίνω* aliquando habet) sed in sensu *apud se statuendi*, sciz., postea ferre sententiam, *tradere satanæ*.

26. *Object.* IV. Non pertinent ad Ecclesiam simpliciter qui non pertinent ad animam ; non enim pertinent nisi ad partem et apparenter. Atqui peccatores non pertinent ad animam.

27. *Resp.* I. Distinguo Major. Si nullomodo nec etiam imperfecte animæ socientur : Transeat : Si animæ aliquo modo socientur : Nego. II. *Dist. Min.* Peccatores non pertinent ad animam Ecclesiæ omni modo et perfecte : Cone. : aliquo modo et imperfecte, sensu jam exponendo : Nego.

28. In vocibus sensu analogico usurpandis magna opus est cautione tum ne voces illae objectis impropriis et alienis applicentur, tum ne analogia ultra justos limites extendatur. Anima Ecclesiæ (D. 2, n. 37, &c.) etsi tota semper et plena in ea esse debeat, ut Ecclesia Christi sit vere talis ; non tamen tota esse debet in singulis membris Ecclesiæ ut hæc vere membra sint. Nec obstat quod peccatores non pertineant ad animam Ecclesiæ. Etenim I. quicquid de hoc dicatur, jam probatum est eos adhuc esse membra. II. Non pertinent ad animam Ecclesiæ perfecte et adaequate, sed de ea aliquatenus participant. Piétinent virtutes fidei et spei. Non excluduntur a fructibus suffragiorum Ecclesiæ : ex quibus et, si cæterus religiosos identidem frequentent, ex occasione exemplorum bonorum, concionum sacrarum, &c., plures gratias actuales percipiunt, quibus acti multi quotidie convertuntur, alii ad conversionem disponuntur. Sicut non idem est gradus iniquitatis in omnibus peccatoribus, ita non in eadem mensura omnes participant de anima

Ecclesiae, sed alii plus alii minus. Omnia membra Ecclesiae in tramite sunt quo ad sanctitatis metam pertingitur. Multi eam attingunt, et ex bis multi firmi stant, alii recedunt; multi ad eam aut alacriter aut languide tendunt; multi retrogradiuntur—sed omnes in via recta sunt.

29- Peccatores communiter a Theologis vocantur membra *mortua*: sed hoc expositione indiget. Mortua sunt absolute, in quantum gratia sanctificante, quâ solâ anima Deo vivit, omnino carent. Mortua sunt in quantum, quamdiu in illo statu existunt, non possunt fieri membra Ecclesiae triumphantis, quæ est tantum Ecclesia militans expurgata, et in termino beatitudinis perennis et immobilis posita. Quoad Ecclesiam vero militantem, peccator non est absolute mortuus, aut saltem non eo sensu quo corpus hominis extincti mortuum esse dicitur. In cadavere enim non tantum non est vita, sed nec ullum principium vitæ, nec, nisi per miraculum, ulla spes aut possibilitas reviviscendi. In peccatore autem fidei, ut jam dictum est, existit inter alia principium vitæ et quidem forte. Mihi ergo, etsi quoad rem omnes Theologi in eadem sunt sententia, arridet modus loquendi Cornelii a Lapide, in 2 Tim. ii. 20 :—“ Mali sunt membra Ecclesiae sed semimortua; quia carent anima et vita primaria Ecclesiae, quæ est charitas. Ecclesia est enim quasi una persona politica, cujus corpus est exterior fidei professio et communio cum aliis fidelibus in sacramentis et sacrificiis sub uno capite Romano Pontifice; anima vero Ecclesiae *generalis et imperfecta* est fides; *specialis vero et perfecta* est charitas.” In alio loco (ad Ephes, iv. 15) hæc habet:—“Sicut embryo prius vivit anima sensitiva, diciturque vivus et sentiens, quam

1

ur «

iH

vivat anima rationali : ita fidelis per fidem prius vivit, vereque est vivens pars Ecclesiæ, etiamsi necdum habeat charitatem ; ea tamen habita, longe nobiliori anima et vita vivit.” His similia habent *Liberius a Jesu*, I). 1, n. 61 ; *Belluart*, de Incarnat. D. 9, A. 2, § 1, *Resp. ad 2 Object*, et de Fide D. 3, A. 2, § 2, vers. *Insuper* ; *Perrone*, de Locis, P. 1, n. 54 ; *Cercia*, S. 2, L. 5, pag. 98.

Dixi ad primum membrum distinctionis *Majori* (n. 26), *Transeat* : disputatur enim an hæreticus occultus sit membrum Ecclesiæ : vid. infra, η. 86, &c.

30. *Object. V.* Si peccatores sint membra Ecclesiæ, corpori mystico Christi, quod est Ecclesia, incorporantur ; et per hoc Christum habentes caput, ei arcte necuntur. Sed hæc affirmari non possunt. *Primo.* Repugnat Christum tanquam Caput sibi membra habere conjuncta quæ simul membra sunt diaboli.

31. *Resp. Dist. Repugnat*, &c., quatenus illa membra sunt membra diaboli : *Cone.* : Quatenus sunt fideles : *Nego* : vide textum S. Augustini, in *PsaL 47* (supra, n. 13).

32. *Urgetur L Secundo.* Repugnat S. Scripturæ. “Caput Christus : ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate *Ephes*, iv. 15, &c. Item, “Caput, ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei *Coloss.* ii. 19. Item, “Ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino : in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu *Ephes*, ii. 20, &c. Item, “Ad

quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum : et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis 1 Pet. ii. 4, &c. “Unio membrorum cum capite in illis textibus descripta talis est quod virtus vitalis quo totum animatur corpus, directe, et vi incorporationis realis, a capite in singula membra fluat : quod genus unionis societati ut tali manifesto competere non potest. Inter Christum et ecclesiam aliquam particularem aut titulum ecclesiarum collectionem nulla est unio vitalis, organica, qualis existit inter membra corporis humani et caput, aut inter ramos arboris et ipsum arborem. Individui fideles ii sunt qui in Christo sunt, sicut palmites in vite : non in cœtus ut sic, sed in individuos, influxus Spiritus a Capite descendunt.”*—Litton, pag. 312, &c. Ergo cum soli justi sint membra Christi et cum eo ut Capite jungantur, ii soli constituunt Ecclesiam Christi.

33. *Resp.* Dicimus in textibus allatis, etsi, si velis, subintelligatur seu implicetur unio Christi cum individuis, directe, primario et ad literam significari unionem cum Ecclesia ut sic i. e. ut societate. Percurramus sin-

* “The union of the members with the Head here described is such, that the vital energy which animates the whole body flows directly, and by virtue of a real incorporation, from the Head into each member; a kind of union of which, as it is evident, a society', as such, is incapable. Between a local church, or a collection of such churches, and Christ there is no vital, organic connexion, such as exists between the members of the human body and the head, or between the branches of a tree and the tree itself: it is individual believers who are in Christ, as the branches are in the vine; it is into individuals, and not into communities as such, that the influences of the Spirit are derived from the Head.”

gulos textos. Et *Primo* quoad Ephes, iv. 15. In hoc capite Apostolus hortatur Ephesios ad vitam Christianis dignam sectandam, et imprimis hortatur ad unitatem seu concordiam fraternam :—“ Sollicit! servare unitatem spiritus in vinculo pacis” (*vers.* 3). Hanc unitatem variis argumentis suadet, seu potius unico argumento variis modis proposito et evoluto, sciz., ex unitate Ecclesiae ; quasi summatim dixisset, “En Ecclesiam, cujus membra estis, quali quamque eximia unitate eam ut societatem formavit et insignivit Deus ; ita et inter vos concordia et charitas fraterna vigere debet.” Depingendo unitatem Ecclesiae incipit ab unitate unius et ejusdem Dei, fidei, &c. Deinde proponit unitatem ministerii in suis diversis muneribus, singulis ab eodem auctore creatis et dispositis, et in eundem finem tendentibus. Ultimo loquitur de ipso principio seu fonte unitatis primario, vivo et operative, cui Ecclesia tam arcte jungitur, (inde suam unitatem derivans), quod unio hæc similis sit unioni corporis humani cum capite, a quo vires vitales in ipsum corpus defluunt.

34. Quaedam sunt in textu objecto valde obscura ; solutio autem objectionis inde eductæ plana est et certa. I. Loquitur S. Paulus de unitate corporis, i. e. Ecclesiae, ut sic, seu *ut societatis*. Non tantum enim dicit “ corpus,” quæ vox per se statim ingerit ideam arctæ unionis membrorum inter se, ad quid unum et totum constituendum, i. e. ideam societatis, ut sic ; sed etiam dicit *totum corpus*” (παν το σῶμα, quo adhuc clarius et expressius significa-

* 11α?, in numero singulari, sicut et *Omnia*, idem sonat ac ὅλο?, *totus*, sciz. quando cum nomine et articulo usurpatur.—Liddell, Parkhurst, Robinson, in voe.

tur ista idea. Deinde dicit hoc corpus esse “compactum et connexum *per omnem juncturam*” &c., quæ voces plura in unum arcte conjuncta, i. e. societatem, significant.

II. Vis vitalis influit in totum corpus, ut sic, *ut corpus*. Fluit equidem in singula membra, “in mensuram uniuscujusque membri justis enim actuales gratias, et bene utentes, augmentum justitiæ recipiunt; peccatores quoque gratias actuales recipiunt, quibus adjuvantur ad vincendas tentationes, ad poenitentiam illuminantur et alliciuntur, et actu sæpius poenitentes et justis evadunt. Sed insuper fluit etiam in totum corpus: diserte enim dicitur “Ex quo *totum corpus . . . augmentum corporis* [i. e. sui ipsius] facit.” Operatio, vis seu virtus activa (ej/e/ryeta) Christi Capitis in totum corpus agit, etsi non æqualiter nec eodem modo in singula membra.

III. Ex liis autem non sequitur, neque in textu affirmatur aut insinuatur hanc *energiam* efficaciter singulos in quos influit justos efficere. Verba enim sunt, “in aedificationem *sui* [sciz. corporis] in charitate bene autem Ecclesia sancta et vocari et esse potest, etsi in ea inulti sint peccatores, prout infra, ubi de Sanctitate Ecclesiae, ostenditur.

35. *Secundo*. Textus ex Coloss. ii. 19, et textus ex Ephes, iv. jam enucleatus, sunt paralleli, et eundem conceptum Ecclesiae *ut societatis*[^] in iisdem fere verbis, exhibent; nisi quod, si id fieri possit, conceptum hunc adhuc clarius significet textus ex Coloss.

36. *Tertio*. Quoad Ephes, ii. 20, manifestum est Apostolum ibi loqui de Ecclesia ut societate, et non de individuis membris, ut sic; et insuper eum loqui non de particulari aliqua sed de universa Ecclesia; et loqui de hac universa Ecclesia ut, *qua* societate, immediate juncta

Christo et ab ipso crescente, ut templum a lapide angulari crescit. Et L illum loqui de Ecclesia ut societate, patet ex voce “omnis” {*tota*), ex voce “constructa” (vid. sup. n. 34), ex vocibus “ædiûcatio, templum, habitaculum,” quæ omnes ingerunt ideam unius totius ex pluribus elementis coadunatis effecti. II. Loquitur de Ecclesia universali, quod patet 1°, ex verbis “in quo *omnis* ædiûcatio,” &c., quibus manifesto significatur *totum* illud quod a Christo lapide angulari initium sumens, et ei nitens constructum crescit in templum, &c. Patet 2°, ex eo quod, si de Ecclesia aliqua particulari loquatur, quam designat per *ædificationem, templum, habitaculum*, hæc ecclesia est Ephesina. Manifesto enim non loquitur de alia ecclesia particulari; tum quia ad solos Ephesios verba habet, et nullius alterius ecclesiæ particularis mentionem facit; tum quia loquitur de ecclesia in qua Ephesii *coædificantur*: sed certe dici non potuit in aliam ecclesiam *particularem* eos fuisse coædificatos—non secundum doctrinam adversariorum, in qua omnes ecclesiæ particulares sunt æque independentes—non secundum doctrinam Catholicam, in qua non una ecclesia particularis in aliam particularem coædificatur, sed omnes et singulæ, in Christo per se et deinceps in ejus Vicario, in unam universalem Ecclesiam coædificantur, quæ, utpote ex iis omnibus constans, eas omnes comprehendit. Si ergo Apostolus per verba, *templum, &c.*, aliquam ecclesiam particularem designet, ecclesiam Ephesinam designat. Sed hanc non designat. Designat enim ecclesiam Ephesinam dicens “vos coædificamini,” et “coædificantur in habitaculum Dei.” Jamvero id quod coædificatur non est idem ac id in quod coædificatur, sed tantum pars illius. Ergo ecclesia Ephesina non est Ecclesia significata per templum,

&c., sed tantum pars illius, i. e. pars Ecclesiae universalis, quam ipsa simul cum ceteris partibus (“coaedificamini”) constituit. III. Apostolus exhibet Ecclesiam universalem ut, *qua* universalem, immediate junctam Christo. Exhibet enim *totum* aedificium ut in illo constructum.

37. Quoniam ergo Apostolus loquitur de Ecclesia universali, et de ea ut societate, et ut sic vocat eam sanctam et habitaculum Dei, non sequitur singula membra, ut sint membra, esse debere sancta; prout latius ostenditur ubi de Sanctitate Ecclesiae.

38. *Quarto.* Quoad textum ex 1 Pet. ii. 4, totus nodus est in verbis “lapides vivi,” quibus viderentur membra Ecclesiae singulatim significari, et singula ut *viva*, i. e. sancta—quoad cetera enim, “domus spiritualis, sacerdotium sanctum,” solutio patet ex dictis et ex dicendis ubi de Sanctitate Ecclesiae. *Resp. Primo.* Si vocabulum *superaedificamini* intelligatur non indicative sed imperative (potest enim, sicut et Græc. *οικοδομεισθε*, utroque modo intelligi) prout illud interpretantur quidam, ut A. Lapid e, tunc omnis evanescit difficultas. Quicquid enim per lapides vivos significetur, Apostolus non affirmat eos tales esse, sed tantum hortatur ut sint. Sed magis placet interpretatio vocis ut affirmantis et declarantis, quam tenent Est ius, Fr omondus, et alii plures.

39- *Resp. igitur Secundo.* I. Quid definite significet vox *vivi* in hoc loco apud ipsos Protestantibus multum disceptatur, ut videri potest apud Rose in Parkhurst. Quidam, illo testante, ut Schleusner, *vivis lapidibus* significationem tribuunt similem ei quæ datur *saxis vivis* Virgilii (Æneid. i. 167). Wahl interpretatur “vivum” {vers. 4) “dum vivit,” et “vivi” {vers. 5) “dum vivitis.” Leighton dicit Christum vocari vivum lapidem, non tan-

tum quia immortalis est, sed quia nobis principium est vitae spiritualis et æternæ ; et fideles vocari vivos lapides forsā utpote ab eo vitam derivantes. *Mac knight* dicit Christum vocari lapidem vivum, quia templum cujus fundamentum est ex hominibus viventibus aedificatur ; et membra Ecclesiæ vocari vivos lapides ut distinguantur ab aliis templis quæ ex materiis inanimatis construuntur. Absit quod dicam, non obstante hac varietate interpretationum, inter illas aut extra illas unam et hanc certam inveniri non posse : sed dico quod debeat *probari* talem interpretationem et certam esse, et cum nostra doctrina conciliari non posse.

40. II. Sedulo notandum est Christum vocari simpliciter et absolute “lapidem vivum,” fideles vero non simpliciter sed cum addito, “et ipsi *tanquam* [ὡ] lapides vivi.” Hujus particulæ, «ç, in adjunctis præsentibus, i. e. ante nomen seu adjectivum nominativi aut accusativi casus, secundum usum linguæ Græcæ, et in N. Testamento et extra, duplex est. Vel enim (1°) usurpatur in comparisonibus inter duas res et earum similitudinem significat, ut, “Estote prudentes *sicut* serpentes, et simplices *sicut* columbae Matth. x. 16. “ Si quis in me non manserit, mittetur foras *sicut* palmes Joan. xv. G. “ *Ut sapiens architectus fundamentum posui:*” 1 Cor. iii. 10. “ Spem quam *sicut* anchoram,” &c. : Hebr. vi. 19, et alibi sæpius. Vel (2°) usurpatur in indicanda rei qualitate, &c., quæ ad eam pertinet, vel quæ ad eam, sive vere sive falso, pertinere *supponitur*. “In omnibus exhibeamus nosmetipsos *sicut* Dei ministros 2 Cor. vi. 4. “ Non est ergo magnum, si ministri ejus [Satanæ] transfigurentur *vehit* ministri justitia? ibid. xi. 15. “ *Ut filii lucis* [i. e. ut decet filios lucis] ambulate Ephes, v. 8. “Non

ad oculum servientes, *quasi* hominibus placentes, sed *ut* servi Christi *ibid.* vi. 6. “Induite ergo *vos sicut* electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae,” &c. : Coloss. iii. 12. Similiter *vers.* 22, 23. “Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus *tanquam* famulus Christus vero *tanquam* filius in domo sua *Ilebr.* iii. 5, 6. Et alibi *ſæpius*. Ilæc omnia quoad usum hujus vocabuli, et regulas et exempla, ex *Robinson* (sub voce, A, β, B, 6), qui citat *Passau*, &c., desumuntur. Inter exempla secundi usus hujus vocabuli alia plura loca ex ipsis Epistolis S. Petri notat *Robinson*, inter quæ hunc ipsum textum 1 Pet. ii. 5, ex quo objectio conficitur.

41. Ex his sequitur, quicquid significetur per vocabulum “vivi,”^f non affirmari lapides *esse* vivos, sed tantum

* In omnibus locis allatis *υϥ* in text. Græc. respondet vocibus *tanquam, ut, sicut, relut, quasi*, in *vers. Vulgat.*

^f Mihi, variis expositionibus perpensis, ea multo germanior esse videtur quæ docet Christum vocari lapidem vivum, tum ut dicatur eum aliqua qualitate speciali a lapide literaliter sumpto differre; tum ut dicatur hanc qualitatem in eo consistere quod active vivat et operetur, coadunando omnes qui in ipso superædificantur, et iis charismata spiritualia communicando.

Nec dicatur non opus fuisse vocare Christum lapidem *vivum* ut distingueretur a lapide literaliter sumpto. *Rcsp.* Frequens est hic usus loquelæ ad pressius insinuandam significationem et vim metaphoraë. Sic vocamus Ecclesiam Corpus Christi *mysticum*, etsi omnes norunt eam non esse corpus ejus naturale. Sic etiam 1 Cor. x. 4: “Bibebant autem de *spiritali* consequente eos petra, petra autem erat Christus.” Ceric non opus orat ut docerentur Corinthii Christum non esse literaliter petram. Sic in hoc ipso textu Ecclesia vocatur “domus *spiritualis*,” non sane quod forsitan aliquis putaret eam esse domum materialem.

Eatenus autem fideles vocantur vivi, seu *ut* vivi, quatenus non ut lapides in materiali ædificio positi, sed activitate præditi, libere et voluntario Ecclesiæ incorporantur, et exinde a Christo influxum recipiunt.

haberi ut vivos, vel similes esse vivis. Si ergo per vivos voluit Apostolus intelligi sanctos, non affirmat singulos fideles, membra Ecclesiæ, sanctos necessario esse, sed pro sanctis haberi, sanctos esse professione—utpote sanctam fidem et religionem profitentes et sanctæ Ecclesiæ incorporatos—et sanctos esse debere.

42. *Urgetur* II. Faciendo Ecclesiam ut quid distinctum ab individuis membris quibus constat, facimus eam quid abstractum. Sed certo non in tali abstracto habitat Christus, neque illius caput vocari potest.—Lit t o n, loc. cit. et alibi.

43. *Resp.* Nos non facimus Ecclesiam ut quid distinctum ab individuis membris, spectatis tamen non ut individuus a seinvicem independentibus et sejunctis, sed ut omnibus simul in unam societatem, per ea vincula quæ Christus ordinavit, colligatis. Omnia membra sic conjuncta *sunt* ipsa Ecclesia; et Ecclesia est illa ipsa multitudo et nihil aliud. Affirmare Christum in ea societate habitare et esse illius caput (prout mox n. 45, expone-mus) nihil absurdi sapit. Sic natio Anglica non est quid abstractum et distinctum ab individuis qui eam constituunt, sed est vera societas constans ex multis millibus Anglorum individuorum, qui per varia vincula civilia in unum corpus civile coadunantur. Victoria cum vocatur Regina illius nationis, certe non significatur eam esse Reginam cujusdam abstracti.

44. *Urget* III. Lit t o n. Saltem, si Christus sit caput Ecclesiæ, tale non est unione immediata sed mediata, sciz., in quantum membris justis et sanctis unitur.

* Lit t o n habet “Ecclesiarum” (*communities*); sed inconveniens esset hic pnemature aperire quæstionem de Unitate Ecclesiæ.

45. *Resp.* Christus utroque modo Ecclesiae unitur, i. e. unitur individujs membris ut individujs, justis et injustis, sed modo diverso : unitur etiam Ecclesiae ut societati. I. Quod justis uniatur ab omnibus conceditur : illis autem praecipue unitur per gratiam sanctificantem et charitatem quae, secundum Catholicam doctrinam, in cordibus eorum diffunditur atque illis inhæret. II. Aliquo modo, sed imperfecte, etiam peccatoribus fidelibus unitur, sciz., per fidem et per gratias actuales quae ex eorum conjunctione cum Ecclesia, varijs modis, multo uberiores quam si ab ea disjungerentur, ipsis derivantur : n. 29. III. Christus unitur toti corpori, ut sic, illud regens, conservans in Unitate, Catholicitate, &c., &c. Nonne Suprema Potestas civilis unitur imperio cui præest, ut cuidam toto, illud defendens, legibus gubernans, &c. ?

46. *Object.* VI. Omnia membra Ecclesiae sunt filii Dei : vere enim dicere possunt, “ Pater noster qui es in coelis.” Atqui peccatores non sunt filii Dei.—“ Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei Rom. viii. 14. “ In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli. Omnis qui non est justus non est ex Deo:” 1 Joann, iii. 10.

47. “ *Respondeo* cum Augustino libro contra Adimantum, cap. 5, nomen filii tribus modis accipi in Scripturis. Uno modo dicuntur filii ratione productionis, sive illa sit proprie generatio, sive creatio, sive regeneratio. Sic Dominus Christus proprie dicitur filius Dei, quia a Deo Patre generatus. Dicuntur etiam omnes homines filii ratione creationis : Dent, xxxii. ‘ Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te.’ Necnon ratione novæ regenerationis dicuntur

ili in

in

† «
|.

4i>i ?!

JI?

ii

' 134

fili omnes justi et soli justi, ut in locis notatis, Rom. viii. et 1 Joan. iii. *Secundo* dicuntur filii aliqui ratione imitationis, quomodo, Galat. iv., et Rom. iv., vocat Apostolus filios Abrahæ, eos qui fidem Abrahæ imitantur, et Matth. v. ‘Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.’ Et hoc modo soli boni sunt filii Dei, mali omnes sunt filii diaboli, ut dicitur Joan. viii. 44, et 1 Joan. iii. *Tertio* modo dicuntur filii ratione doctrina? ; quomodo, 1 Cor. iv., Apostolus vocat Corinthios filios, » quia eos docuerat Evangelium, et Galat. iv., ‘Filiolimeii, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.’ Et hoc modo omnes qui sunt in Ecclesia, sunt filii Dei et Ecclesiæ, quia tenent veram doctrinam Dei et Ecclesiæ, tamen possunt esse boni et mali.” Hæc BELLAI-MINUS (L. 3, C. 9, *Object. Tertia*), quibus ita planis nihil opus est addere, nisi quod 1. Omnes, et peccatores et justi, possunt, imo debent dicere “Pater noster, &c.”

2°. Justus vocatur filius Dei, non quod alii non sint suo modo filii, sed quod ille talis sit eximie et perfecte, per excellentiam, prout de Nathanaele dicit Christus, “Ecce vere Israelita, in quo dolus non est” Joan. i. 47 ; quam ideam contrario modo exprimit S. Paulus, “Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ” Rom. ix. 6, non quod omnes ex propagine Israelis non fuerint Israelite secundum carnem, quam significationem in communi usu habuit ista appellatio, sed quod tales non fuerunt sensu sublimiori quo loquitur Apostolus, filii spirituales Israelis, in quibus implendæ erant promissiones spirituales. Sic etiam in sermone communi de viro forti dicimus “ille est vir,” et de ignavo, “ille non est vir” sicut et in aliis exemplis innumeris.

48. *Urgetur.* In nullo loco N. Testamenti vocantur “filii Dei” nisi qui justus sunt.—Litton, p. 298.

49. *Resp.* Concedo. Etsi enim de uno aut altero textu dubium aliquod forsitan moveri possit, puto tamen nullibi in N. Testamento peccatores simpliciter vocari filios Dei. Sed inde non sequitur eos non esse filios Ecclesiae et membra. Ex usu loquendi Sacrorum Scripturarum “filius Dei” idem significat ac “justus.” Potuerunt sane nomine filiorum Dei omnes fideles vocare, sicut Deum vocant Patrem omnium; sed tunc illa locutio latiore haberet sensum quam nunc habet. Tota quaestio est de verborum usu, “quem penes arbitrium est,” &c. Usus ecclesiasticus habet quod membra Ecclesiae, sive justa sive injusta, vocentur filii Ecclesiae: hinc dicuntur filii boni vel mali, dociles vel indociles.

50. *Object.* VII. Peccatores nullomodo vocari possunt sancti, et certe non simpliciter sancti. Atqui S. Paulus variis ecclesiis particularibus scribens, membra eorum simpliciter et absque ulla distinctione sanctos appellat. Et quoniam omnia membra illarum ecclesiarum, nullo excluso, alloquitur; ergo omnes sancti fuere, et peccatores qui inter illos ut membra versabantur, talia non fuere revera, sed tantum apparenter. “Omnibus qui sunt Komæ, dilectis Dei, vocatis sanctis” Tom. i. 7. “Ecclesiae Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis” 1 Cor. i. 2. “Ecclesiae Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia” 2 Cor. i. 1. Item Ephes, i. 1; Philipp, i. 1; Coloss. i. 2.

51. *Resp.* Quicquid in istis locis per appellationem illam significare voluerit S. Paulus, certe, secundum usum S. Scripturæ, et ipsius S. Pauli, non significatur

omnes qui, saltem ut plures simul, ea vocantur, vere justos fuisse. I. Etsi toties hac salutandi forma utitur, nullibi insinuat se iis tantum qui coram Deo justis sunt, peccatoribus praetermissis, eam dirigere. E contrario, contextus haud semel plane ostendit illum omnibus indiscriminatim et conjunctim sumptis, seu singulis ecclesiis, ut sic, ut tot coetibus sacris, eam dirigere. Sic, in salutatione ad Romanos, “*Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis.*” Patet hæc ultima verba, “*dilectis Dei, vocatis sanctis,*” non addi ad immediate præcedentia restringenda, quasi *non* omnibus Christianis sed tantum justis sermonem habiturus esset Paulus ; sed ad ipsos Christianos omnes qui Ecclesiam Romanam constituerunt titulis honorificentioribus augendos. Illi erant de quibus statim subjungit, “*Gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis ; quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Testis enim mihi est Deus cui servio in spiritu meo in Evangelio filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis : obsecrans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.*” Jamvero quorumnam fides annuntiata est in universo mundo? Non sane justorum solorum, qui, ut tales, nonnisi conjecturaliter, nec semper etiam conjecturaliter, dignosci possunt. Fides erat ipsius *Ecclesiæ Romanæ*. Solorumne justorum habuit Paulus memoriam in orationibus suis? Solosne justos desideravit et obsecratus est videre? Solisne justis impartiri voluit robur spirituale (“*ad confirmandos vos*”)? Imo et peccatoribus, et his forsitan magis utpote graviore necessitate laborantibus : “*Non est,*”

enim, “opus valentibus medicus, sed male habentibus:” Matth. ix. 12. Hæc omnia adhuc planius constant ex salutatione in prima et secunda Epistola ad Corinthios, “*Ecclesiae Dei quæ est Corinthi, &c.*” Universam ergo congregationem quæ Corinthi erat Christianam, et non partem ejus nulli cernendam, salutavit; congregationem quæ haud paucos peccatores comprehendere visa est (n. 10).

52. II. Non semper eos vocat sanctos simpliciter, sed aliquando cum addito, ut in Rom. i. 7; 1 Cor. i. 2, “*vocatis sanctis.*” Quicquid vero per illud additum significetur, pronum est inferre et id in aliis locis ubi appellatio simpliciter enunciatur, subintelligi debere. Eo ipso enim quod tam frequenter in Actibus Apostolorum et in Epistolis occurrat illa appellatio *sanctorum*, ad designandos Christianos tunc temporis, videtur fuisse titulus quidam proprius et solemnis, qualis est hodie titulus *Catholicorum* ad eos designandos qui in communionem Sedis Apostolicæ vivunt; aut qualis fuit olim titulus *Sanctissimi* aut *Beatissimi* quo compellebantur Episcopi, hodie vero solus Summus Pontifex. Non magis autem certe Colossenses aut Phillipenses sibi nomen *sanctorum* vindicare potuerunt quam Christiani Romani, quorum fides annuntiata est in universo mundo. Si ergo Romani sunt “*vocati sancti,*” tales sunt Colossenses, &c. Adde quod ex salutationibus duarum Epistolarum ad Corinthios, videtur Christianos nuncupatos fuisse *sanctos* et *vocatos sanctos* indifferenter. In prima enim Epistola appellantur *vocati sancti*; in secunda vero implicite vocantur *sancti*; dictio enim “*cum omnibus sanctis*” idem sonat ac “*cum ceteris*” seu “*cum ceteris omnibus.*”

53. III. Sed ista generali appellatione *sanctorum* non

significari singulos sub ea comprehensos vere justos fuisse coram Deo, ultra omne dubium ponit usus illius nominis in N. Testamento. Ubique enim eo nuncupatur nomine totus cœtus Christianorum hujus vel illius ecclesiæ particularis, indifferenter et absque ulla distinctione bonorum et malorum. Exempla quædam afferemus. “Respondit autem Ananias : Domine, audivi a multis de viro hoc [Saulo], quanta mala fecerit *sanctis tuis* in Jerusalem Act. ix. 13. Esto quod forsan, isto ævo aureo, omnes Christiani qui tunc temporis in Jerusalem debebant justifuerint, non certe quatenus justifocantur *sancti*, sed quatenus Christiani professi, et ut tales eos persequeretur Saulus ; ut patet ex vers. 14 :—“ Et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi *omnes, qui invocant nomen tuum*” Similiter in eodem cap. vers. 32 “Factum est autem, ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad *sanctos*, qui habitabant Lydiæ,” et vers. 41 :—“Et cum vocasset *sanctos* et viduas, assignavit eam vivam,” sciz., Tabitham, quam Petrus a morte statim antea suscitaverat. Similiter et xxvi. 10. Num ad solos justos deveniebat Petrus ? Num solos justos vocabat ? De collatione eleemosynarum in usum pauperum Christianorum sic scribit S. Paulus ad Corinthios :—“ De collectis autem, quæ fiunt in *sanctos*, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite.” Anne ad solos justos sublevandos faciendæ erant hæ collectiones ? Anne inquirendum erat quinam ex fidelibus essent in statu gratiæ, priusquam eleemosynæ in eos erogarentur ? Et hoc, cum Scriptura toties insinuet opera misericordiæ et benevolentias non tantum justis sed injustis, imo et extraneis fidei præstanda esse. Nemo sane affirmative respondere potest. Similem significationem habet hæc appellatio

sanctorum, cod. cap. vers. 15. Similiter et 2 Cor. viii. 4 : —“ Obsecrantes nos gratiam et communicationem ministerii, quod fit in *sanctos* et in ead. Epistola, ix. 1, 12 ; et alibi sæpius.

54. Vocabulum *Sanctus*, equidem, ad significandum justum et coram Deo sanctum, longe frequentius, ut puto, in Scriptura usurpatur. Sed certum esse censeo quod quotiescunque in N. Testamento adhibetur ut appellatio cujusvis cœtus seu Ecclesiæ Christianae, semper (ad justos et injustos indiscriminatim applicatur : seu potius in ejus applicatione, considerantur fideles tantum ut fideles et Christiani professi ; et abstrahitur ab eo quod sint sancti coram Deo vel non.

55. Et hæc de eo quod *non* significat appellatio *sanctorum* ; quod ad solvendam objectionem plene sufficit. Si vero quaeratur quid in præfatis textibus significet ? *Resp.* duplicem esse sententiam præcipuam. *Prima* sententia dicit fideles appellatos fuisse *sanctos* seu *vocatos sanctos*, quia baptismo sancti facti sunt ; vel quia professione sancti sunt, sciz., profitentes religionem sanctam et sanctificantem ; vel quia vocatione sancti sunt, i. e. vocantur ad sanctitatem, eodem fere modo quo S. Paulus (Rom. i. 1, et 1 Cor. i. 1), a seipso appellatur “vocatus Apostolus,” i. e. vocatus ad Apostolatam. Ambæ locutiones eandem significationem habent : etsi aliunde cognoscamus quod qui vocatur ad Apostolatam ipsa vocatione Apostolus fit, qui vero vocatur ad sanctitatem non ipsa vocatione fit sanctus. *Secunda* sententia dicit :—“Sanctos, hoc est, vera præditos sanctitate vocat [S. Paulus] Romanos fideles, non quia omnes et singuli sancti erant : sed quod Ecclesia Romana ad quam scribit, ut alia quæcumque particularis ecclesia, sit sanctorum cœtus et con-

gregatio. Nam sancti in unaquaque ecclesia sunt praecipua ejus membra. Propter quod non solum Ecclesia universalis, verum etiam quaelibet particularis vere sancta dici potest.”—*Est ius* in Boni. i. 7.

56. Mihi videtur utramque sententiam in unam componi et conjungi posse et debere ; et fideles collective sumptos sanctos vocari, tum quia baptismo sanctificati sunt ; tum quia sanctam profitentur religionem ; tum quia, vocati ad fidem et Ecclesiam veram, ad sanctitatem vocantur ; tum quia pars sunt Ecclesiae universalis, aut, si sermo sit de omnibus fidelibus, ipsa Ecclesia universalis, in qua ingens semper existit sanctorum multitudo.

57. *Urgetur* I. Ergo per nomen *sanctorum* eos tantum intenditur designare qui exterius religionem Christianam profitentur, sive sint revera justi sive non, et etsi forsan revera peccatores sint.—*Litton*, p. 281.

58. *Resp.* Apostolus *abstrahit* ab eo an sint *omnes* justi : appellatio *sanctorum* neque hoc neque contrarium significat aut insinuat. *Supponit* vero, et pro certo habet inter eos multos esse justos—et in ecclesia Romanorum, Corinthiorum, &c., sine dubio inulti tunc temporis fuerunt sancti—vel saltem eos esse partem Ecclesiae universalis, in qua certum est certitudine fidei multos semper esse sanctos, ob quod tota Ecclesia vel ecclesia aliqua particularis sancta vocari potest (V. D. 5, n. 143, &c. totam *Resp.* ad Object. 16). Appellatio *sanctorum* in adjunctis supra expositis nihil aliud fuit quam forma locutionis in salutationibus, &c.

59. *Urgetur* II. S. Paulus certus erat se justum fuisse et fidem suam vivam fuisse. Atqui se in his ex æquo cum fidelibus quos alloquitur ponit, et eos ut in his sibi similes supponit :—“ Benedictus Deus et Pater Domini

nostri Jesu Christi qui benedixit *nos* in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo Ephes, i. 3. “ Simul consolari in vobis, per eam quæ invicem est, fidem vestram atque meam Rom. i. 12. Ergo et omnes fideles quos alloquitur vere sancti fuere. — Litton, p. 282.

60. *Resp.* I. Transeat Major. S. Paulus habuit, aut saltem habere potuit illam certitudinem conjecturalem, aut persuasionem probabilibus momentis nixam, se justum fuisse, quam omnes nostri Theologi quosdam saltem justos habere posse concedunt. Certitudinem vero fidei sine revelatione habere non potuit : an vero talem accepisset revelationem nescio. Sed quicquid sit de his,—

61. *Resp.* II. Nego Min. Quoad textum ex Ephes, i. 3, plane loquitur Apostolus non de sola gratia sanctificante sed de omni gratia et dono cælesti per Christum fidelibus collato :—“ Qui benedixit nos in *omni* benedictione spirituali in caelestibus in Christo.” Extra Ecclesiam quidem dantur gratiæ actuales quædam : membris Ecclesiæ vero omnigenae quas Deus dat gratiæ impertiuntur, et abunde impertiuntur, gratiæ gratum facientes actuales et habituales, et gratiæ gratis datæ. Non omnibus quidem omnes dantur, nec in eadem mensura ; sed unusquisque propriam suam gratiam et benedictionem habet a Deo, “ alius quidem sic alius vero sic.” “ Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi :” Ephes, iv. 7. Bene ergo dicere potuit S. Paulus de seipso et ceteris fidelibus conjunctim sumptis, Deum eos benedixisse in omni benedictione spirituali, etsi non omnibus omnes datæ fuerint, etsi, v. g. quidam gratia sanctificante orbat, gratia fidei et spei tantum cum gratiis actualibus habuerint. Numquid

omnes gratiam Apostolatus habuerunt ? quæ tamen certo inter benedictiones quibus Deus Ecclesiam benedixit recensenda est. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes Virtutes? &c. : 1 Cor. xii. 29.

62. Finis quidem omnium benedictionum divinarum est sanctificatio nostra prout statim verbis in objectione allatis (*vers.* 4) subjungit Apostolus :—“ Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, in charitate.” Elegit nos *ut essemus sancti*. Sed aliud est eligi aliquem ut sit sanctus, aliud vero eum esse sanctum. Omnes fideles hoc ipso eliguntur et vocantur ad sanctitatem, sed non omnes sancti fiunt aut sancti permanent.

63. Quoad textum ex Rom. i. 12 ; postquam dixerat Apostolus, *vers.* 11, se desiderare ad Romanos venire, ut illis gratias spirituales, ad eos confirmandos, impertiretur, statim addit (probabiliter, modestiæ causa), se per hoc intelligere illam consolationem et lætitiæ spiritualem mutuam et communem quæ ex conversatione cum illis, per fidem communem Pauli et Romanorum, et Paulo et Romanis derivaretur. Hæc consolatio ea est quæ, quovis bono pastore cum grege suo fideli in spiritualibus conversante, et pastori et gregi quotidie et ubique obvenit. Sed ex hoc sane non sequitur, etsi pastor sit sanctus, omnes et singulos in grege sanctos esse.

64. *Urgetur* 111. Gens Judaica typus erat Ecclesiæ Christi. Quæ de ea ut gente affirmantur typice de ea affirmantur, et non in ea, sed in Ecclesia Christi, plene et realiter implenda erant. Cum ergo gens Judaica vocabatur “Populus sanctus” (Deuteron, vii. 6 ; xiv. 2, 21, &c. &c.), ita vocabatur tantum ut typus Ecclesiæ Christi :

neque enim singuli Judæi sancti erant, sed tantum gens, et hæc typice. Sed ut huic typo tanquam antitypus, ut huic umbræ tanquam veritas, respondeat Ecclesia Christi, in omnibus suis membris sancta esse debet: alioquin enim Ecclesiam Judaicam non tantum superaret, quantum requirunt tot loca S. Scripturæ.—Litton, p. 285, &c., sed multo fusius.

G5. *Resp. Primo.* Omissa prima et secunda propositione quæ ad sensum jam exponendum distingui possunt; ad tertiam propositionem, sciz., Gens Judaica vocabatur sancta tantum ut typus Ecclesiæ Christi, Dist. Ecclesia Judaica nec tali nec tanta gaudebat sanctitate ac Ecclesia Christi: Cone. : Quasi Ecclesia Judaica non ipsa fuerit multis modis vere sancta, sed tantum typus Ecclesiæ sanctæ futuræ: Nego. Lex Judaica cum omnibus suis præceptis moralibus judicialibus et cæremonialibus fuit sancta, etsi longe sanctior Lex Nova. Revelatio Mosaica fuit sancta, sanctas veritates manifestans; et revelatio Novæ Legis quoad hoc eo sensu sanctior est quod sit multo uberior et clarior. Equidem “nihil ad perfectum adduxit lex” (Hebr. vii. 19); attamen sub lege, per fidem in Christum venturum, et per gratiam Christi, sanctificari potuerunt homines. Denique quoad ipsos justos, fuerunt sub Veteri Lege non solum justis sed perfecti; etsi sub Nova Lege longe longeque plures sunt justis et perfecti. Igitur Ecclesia Judaica typus fuit Ecclesiæ Christi, non eo modo quo effigies hominis est signum hominis, sed (ut dicitur, 1). 4, n. 22), eo modo quo puer typus vocari potest et umbra viri futuri.

66. *Resp. Secundo.* Ultimam propositionem et rationem ei subjunctam Nego. Etsi enim multi essent peccatores in Ecclesia Christi, adhuc Ecclesiam Judaicam

sanctitate effuse et mirifice superaret. I. Omnis sanctitas quæ sub Veteri Lege et ante illam a lapsu Adæ extabat, a Nova Lege derivata est, et intuitu meritorum Christi collata est. II. Ritus Veteris Legis ex opere operato non nisi sanctitatem legalem seu externam conferebant : ritus vero plures Novæ Legis, septem scilicet sacramenta, gratiam internam ex opere operato rite dispositis conferunt. III. Ut alia per singula plenius alibi exponenda omittamus, Ecclesia Christi per orbem diffusa perquam plures et sanctos et perfectos habet. IV. Hæc sanctitas personalis ingentis numeri membrorum Ecclesiæ permanens est et essentialis et conspicua ; quod de Ecclesia Judaica nullomodo affirmari potuit.

67. *Nota.* Adversariorum omittimus argumenta omnia quæ fundantur in idea Lutherana aut Calvinistica fidei justificantis, sciz., fidem solam justificare peccatorem, et hanc fidem non esse illam quam nos inter virtutes Theologicas recensemus et jam descripsimus (D. 1), sed fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum (Cone. Trid. Sess. 6, Can. 12), seu fiduciam qua quis sua peccata credit esse remissa per imputationem justitiæ Christi. Fateor equidem Protestanticum conceptum; **BE** Ecclesiæ in doctrina Protestantica de fide justificante multum fundari (D. 1, n. 147). Attamen 1º, duplici modo destrui potest ædificium erroris, sicut et ædificium ma-

* Non dicant adversarii nos hic non posse nostram doctrinam de sacramentis, &c. supponere. Eam enim hic non ponimus tanquam partem aut præsuppositum alicujus argumenti ad nostram doctrinam firmandam allati, sed tantum ad ostendendum varia capita nostræ doctrinæ sibi cohæcere. Nostri est declarare quomodo affirmare possumus Ecclesiam Christi sanctiorem esse Ecclesia Judaica, non secundum adversariorum doctrinas, sed secundum nostras.

teriale ; sciz., vcl ipsum directe ædificium vel fundamentum ejus demoliendo. Quo posito, 2^o, quoniam valde inconueniens esset longas disceptationes de Justificatione, &c., cum materia hujus tractationis propria commiscere, et quoniam insuper hoc nullomodo necessarium est, ideo disceptationes istas omittimus. Qui plura velit adeat auctores de Gratia.

68. *Object. VIII.* Supponatur sanctitatem penitus deficere in Ecclesia, ita ut nullus esset in ea sanctus. Adhuc in ista hypothesisi, secundum doctrinam Catholicam, fideles possent vocari vera membra Ecclesiae Christi : quod dictu nimis absurdum est.—Litton, p. 344.

69. *Resp. I.* Non potest supponi sanctitatem ita unquam posse deficere in Ecclesia. Sanctitas enim multorum membrorum essentialis est Ecclesiae (ut suo loco ostendetur), et, illa deficiente, hæc deficeret. Extincta autem Ecclesia, sane nemo amplius, sive sanctus sive peccator, membrum ejus vocari posset, scilicet membrum corporis non existentis. Igitur, doctrina Catholica circa actualem divinam constitutionem Ecclesiae integre spectata, præfata conclusio non solum non est secundum illam doctrinam aut ex ea sequens, sed ei aperte contradicit, et impossibilis est.

70. *Resp. II.* Posito autem Christum aliter suam Ecclesiam constituisse, nec ordinasse absolute sanctitatem multorum membrorum esse ipsius attributum essentielle : et posito (quod in ista hypothesisi possibile esset) sanctitatem membrorum aliquando penitus excidisse : et

* Litton loquitur de hypothetico defectu totali “*fidei sanctificantis*,” sciz., secundum ideam Protestantiam fidei supra memoratam. Quoad rem vero objectio manet eadem.

rki (

4

■ ?
H. /

posito præsentis puncto doctrinae Catholica de peccatoribus membris Ecclesiae : posita dico veritate horum trium (quorum tamen priora duo falsissima sunt) ; conclusio non absurda sed logica et vera *esset*. Posita autem, ut diximus, doctrina Catholica integra, et illosdca et falsa *est*.

71. *Object.* IX. Ecclesia militans et Ecclesia triumphans non sunt duæ Ecclesiae, sed duæ partes unius et ejusdem Ecclesiae. Utraque simul efficit unum corpus Christi mysticum, cujus ipse Caput est. Atqui rationi contradicit duas partes adeo heterogeneas, quales sunt Ecclesia triumphans tota immaculata, et Ecclesia militans multos peccatores comprehendens, in unum totum homogeneum coalescere. Ergo Ecclesia militans non comprehendit peccatores.—Litton, p. 317, 344-6.

72. *jResp.* Objectio hæc (quam alii Doctores Ecclesiae Constitute, nostram doctrinam de bonis et malis in Ecclesia tenentes, sibi proponunt, et suo modo solvere conantur, ut Sheblock, ap. Gibson, iii. 143), in æquivocis et logomachiis tota ludit. Et *Primo*, dici potest Ecclesiam triumphantem et militantem esse unam Ecclesiam, et etiam hanc Ecclesiam esse corpus Christi, et Christum esse caput ejus. Sed hæc de Ecclesia triumphante et militante conjunctim longe alio sensu affirmantur ac de alterutra per se et seorsum spectata. Membra Ecclesiae triumphantis simul cum membris Ecclesiae militantis non constituunt unam Ecclesiam eodem sensu quo membra alterutrius seorsum ab altera constituunt unam Ecclesiam. Una est Ecclesia militans ex unitate fidei, cultus et regiminis, ut suo loco demonstrabitur. Una est Ecclesia triumphans quia omnia ejus membra in eodem regno in circuitu throni Dei constituuntur, ardentissima

charitate et Deo et sibi invicem conjunguntur, et, etsi in diversis gradibus, eadem beatusitudine ineffabili et sempiterna fruuntur. Non vivunt nobiscum sub eodem regimine visibili, nec eodem cultu visibili utuntur, carent etiam vinculis fidei et spei quæ in illis absorbentur in visione et fruitione, &c. &c.

73. Etsi Ecclesia utraque simul sumpta, sensu quodam, jure vocari possit et sit una Ecclesia et corpus Christi (quod non solum concedimus, sed et tēnemus), saltem S. Scripturas usus ab hoc modo loquendi alienus est. Ibi enim quotiescumque fit mentio corporis Christi mystici, semper significantur fideles viatores soli, et etsi non semper in hac appellatione diserte excludantur beati in cælis, nunquam includuntur. Unicus est, ut puto, textus de quo dubium moveri potest, sciz. Ephes, i. 23 : —“Et omnia subjecit sub pedibus ejus : et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et

U. i.;
.b?.



* “Secundo, notabimus non solum ex imperfectione aliqua membrorum, sed nec ex statu diverso totius corporis multiplicari aut diversificari Ecclesiam. Quemadmodum una est Ecclesia ab Abel justo usque ad finem seculi, licet status ejus et conditiones fuerint diversae, ante legem, sub lege, et in Evangelio : sic una est Ecclesia militans in terris ac triumphans in coelis, licet multo major sit status et conditionis utriusque diversitas. Hanc ob causam cavillantibus Donatistis quod a Catholicis docentibus in hac vita malos permixtos bonis, in altera autem vita solos bonos habere Ecclesiam, duæ propterea Ecclesiae ponerentur, diligenter respondent triginta fere Episcopi Catholici in collatione Carthaginensi, ‘se non duas ponere Ecclesias, aut hanc, quæ habet permixtos malos, alienam dicere a regno Dei, ubi non erunt mali commixti ; sed eandem ipsam unam et sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram.....’ Hæc apud Augustinum in Breviculo collationum cum Donatistis, collatione tertii diei, num. 4.” Stapleton, Relect. Schol. Cont. 1, Q 3, A. 6, *Expositio Arctic.* Vid. λ Lapidæ, in Isai. ix. 18.

plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.” De hoc textu hæc breviter noto. I. Et de sensu et de lectione (discrepant enim a se invicem pleraque 2MS. Græca et Latina, vid. Est ium, Goldiagen, &c.), scinduntur interpretes et antiqui et recentiores. II. In lectione Græca recepta non est locus difficultatis; verba enim non sunt “super omnem Ecclesiam” sed “super omnia, Ecclesiæ,” (ὑπὲρ πάντα ἐκκλησίᾳ), i. e. “Ipsum qui est super omnia, Ecclesiæ (cas. dativ.) dedit caput.” Quoad lectionem Vulgatæ, sola ratio dicendi Ecclesiam triumphantem includi est ex voce *omnem*. Sed vide supra, n. 34, *not.* Et quidem, ni fallor, in omni textu parallelo, i. e. in quo sermo est de relatione hac inter Christum et Ecclesiam, sive hæc exhibeatur sub metaphora corporis sive ædificii, ita accipitur; ut in Ephes, ii. 21; iv. 16; Coloss. ii. 9. III. In nullo ex aliis textibus ubi Ecclesia sub metaphora *corporis* significatur, existit indicium minimum in ea comprehendi Ecclesiam triumphantem: dum in plerisque, si non in omnibus, vel ex ipsis verbis vel ex adjunctis patet de sola Ecclesia militante sermonem esse: —“Ita multi unum corpus *sumus* in Christo Rom. xii. 5. “In uno spiritu omnes *nos* in unum corpus baptizati sumus 1 Cor. xii. 13. “*Vos* autem estis corpus Christi,” *ibid.* vers. 27. Vid. D. 6, η. 93.

74. *Resp. Secundo.* Posito utramque Ecclesiam unam efficere, unum esse corpus Christi, nihil absonum in eo est quod Ecclesia illa ex justis et injustis constet. Si diceremus illos eodem modo et æque perfecte esse membra Ecclesiæ, et falsum et absurdum affirmarem. Quæro

* Pulchre Stapleton, ex Thoma Waldensi, dicit “membra corporis Christi mystici quædam esse conjuncta ipsi Christo, quædam conjuncti-

ab adversario quid intelligat per corpus homogeneum et partes heterogeneas? Si per corpus homogeneum significet corpus constans membris quæ non tantum vinculo fidei, &c., sed etiam internæ sanctitatis uniuntur, et affirmet tale esse corpus Christi mysticum; Respondeo illum quæstionem petere, et pro argumento novo contra nos suam doctrinam nudam, jam a nobis eversam, aliis verbis repetere. An corpus Christi mysticum sit alio quodam sensu homogeneum ad præsentem materiam non attinet, nec est præsentis loci inquirere. Quod vero non sit homogeneum sensu jam exposito, sed heterogeneum, jam ostendimus. Nonne duodecim, statim a sua prima vocatione et priusquam plenitudinem Apostolatus accepissent, unum corpus distinctum constituebant? An corpus hoc, a Christo ipso immediate quoad omnia membra constitutum, fuerit homogeneum an heterogeneum? Sane in illo fuit Judas Iscariotes, magnus ille peccator, et eo ipso tempore peccator quo adhuc pertinebat ad corpus Apostolorum:—“Nonne ego vos duodecim

ora, quædam conjunctissima. Conjuncta sunt omnia quæ Christum induerunt per fidem, aut per baptismum, sacramentum fidei, et applicatum sibi Christum habent per communionem sacramentorum.....Conjunctiora membra sunt quæ non solum per fidem et sacramentorum usum, sed etiam per charitatem Christo adhærent, et unus cum eo spiritus fiunt Conjunctissima membra sunt quæ non sola fide et charitate, sed etiam spe non frustrabili et finali perseverantia connexa Christo conjunguntur. Hoc enim proprium est electis. Itaque primi quidem sunt membra per fidem, secundi chara membra per charitatem, tertii charissima membra propter electionem. Itursum primi, ut credentes, sunt aliquanta membra; secundi, ut amantes, magna; tertii, ut perseverantes, præcipua. Omnes denique tales sunt membra, licet diverso loco, honore, et gradu.” Opere citat. C. 1, Q. 2, A. 1, *Explic. Artic.*

elegi: et ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset *unus e.r duodecim* Joan. vi. 71. Vide et Mare xiv. 18. &c.

75. *Object. X.* Si peccatores sint membra Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, talia manebunt in vita futura, etsi in peccatis moriantur. Etenim mors non separat eos ab Ecclesia: mors enim, quæ est tantum separatio animæ a corpore, istorum peccatorum statum spiritua-lem in nullo essentiali immutat. Ita Litton (p. 346 et p. 347, *not.* prope finem, ex Peabson), qui (p. 348) hoc argumentum pro insolubili habet.

76. *Resp. I.* Nego primam propositionem. 1°. Qui ordinavit Deus peccatores esse membra Ecclesiæ his in terris, ut jam probatum est, idem ordinavit eos post hanc vitam non amplius talia fore, prout ipse adversarius ex Scriptura evidens merito supponit. 2°. Excepto solo caractere baptismi, in morte solvuntur absolute et in æternum omnia omnino vincula interna et externa quibus peccatores Ecclesiæ colligantur (n. 27, 28). In damnatis enim nec manet fides nec ulla virtus nec ulla cujusvis virtutis externa manifestatio. In peccatoribus fidelibus vivis manent vincula essentialia communionis, iisdem peccatoribus extinctis, extinguuntur hæc vincula.

77. *Resp. II.* Ad rationem objectionis subjunctam. Miror auctorem doctum et se Christianum vocantem istam proferre aut probare doctrinam paganismum et atheismum sapientem, sciz., mortem nihil aliud esse quam separationem animæ et corporis, et in nullo essentiali mutare statum animæ spiritualem. Equidem mors, ut actus transcunset ut oculis corporeis apparet, nihil aliud

est quam separatio animæ et corporis ; sed integre et in effectu et oculis fidei spectata, non solum plura alia includit, sed ista separatio nuda comparate ad ea quasi nihil est. Peccatorem fidelem, qui usque ad instans mortis gratias habet actuales, virtutes infusas fidei et spei, capax est conversionis ad Deum et æternæ beatitudinis, omnibus gratiis et donis supernaturalibus privatus mors, et in statu summæ et æternæ miseriæ reponit. Justum, qui adhuc obnoxius est tentationibus et peccato et æternæ damnationi, ad statum transfert immotum et "æternum impeccabilitatis absolutæ et felicitatis ineffabilis. Hanc significationem, saltem plane connotatam, ipsius vocabuli *mortis* in S. Scriptura, innumeris adductis locis, ostendere facillimum esset ; nisi quod in re adeo clara non est opus verbum addere.

78. Loca quædam ex S. Augustino, et a veteribus et recentioribus Protestantibus et a Jansenistis, allata sunt, ad asserendum S. Doctorem in patrocinium erroris hæreticalis quem hic impugnamus. Verum 1°, attenta doctrina certa et explorata S. Augustini de membris Ecclesiæ, prout in variis locis operum ejus diserte declaratur (n. 13) ; 2°, attenta mente et scopo ejus in locis objectis ; et 3°, attentis eorundem locorum contextibus ; interpretationes adversariorum distortæ prorsus et commenticiæ esse inveniuntur : prout, omnibus late perpensis, invicte demonstrat *Passaglia*, L. 3, n. 709—731.

79- Aliæ sunt objectiones haud paucae a scriptoribus Protestantibus contra nostram doctrinam et nostra argumenta allatae. Sed non est opus ut eas excutiamus. Vel enim sunt, quoad rem, eadem cum jam refutatis, forma tantum verborum mutatq : vel saltem principiis jam positis facile dissolvuntur : vel fundantur in quibusdam

textibus Sc̄ripturæ male intellectis, et quorum germano sensui explanando loci opportuniore infra in Disputationibus sequentibus dabuntur.

Sectio Quarta.—AN OMNES ET SOLI PRÆDESTINATI SINT
MEMBRA ECCLESIAE.

80. Qui tenentes Ecclesiam ex solis justis constare, tenent simul inamissibilem esse justitiam, necessario tenere debent Ecclesiam ex solis prædestinatis constare. Non omnes vero prædestinati sunt adhuc justi. S. Paulus ante suam conversionem peccator erat, ut ipse testatur, et tamen prædestinatus. Tales sunt omnes peccatores prædestinati. Non solum fideles prædestinatos, sed omnes prædestinatos, sive jam fideles sive non, v. g. S. Paulum adhuc persecutorem, Ecclesiae membra esse docuerunt Wickleff et Huss, ut testatur Bellarminus, L. 3, C. 2, et quoad Huss, constat ex Articulis ejus in Cone. Constant, damnatis.

81. Propositiones Hussii in Cone. Constant, hæ sunt: —“ 1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas. 2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles. 3. Præsciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet. 5. Præscitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars

* Propter ejus perpetuos flexus, simulationes et dissimulationes, difficile est (ait Lingard, Hist. Angliæ, ad Ann. 1382), quid vere de pluribus capitibus doctrina» senserit Wickleff (al. Wycliffe) pro certo statuere. Quod et de aliis novatoribus verum est, ut ibidem notat idem Liugard.

sanctæ Ecclesiæ ; et prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis. 21. Gratia prædestinationis est vinculum quo corpus Ecclesiæ et quodlibet ejus membrum jungitur Christo Capiti insolubiliter.” De novatoribus Protestantibus hæc habet *Stapleton* :—“Wickleplii et post eum Joannis Ilus hæresis erat, electos semper esse membra Ecclesiæ, etiam ante vocationem temporalem . . . Lutherani hodie in repetitione Confess. Augustanæ, Melancthon et Musculus in locis communibus, disertis verbis ab hac sententia recedunt, eamque Melancthon multis verbis refutat. Calvinistæ vero Wicklephi vomitum resumunt. Nam Helveticæ ecclesiæ in sua Confessione, cap. 17, diserte docent etiam non renatos per baptismum esse aliquando membra Ecclesiæ, quatenus electi sunt. Calvinus, Instit. L. 4, C. 1, Sec. 7, in eadem sententia est.”—*Stapleton*, Relect. C. 1, Q. 2, A. 2. Latius *Bellarmin.* l. c.

82. In Anglia hodie satis late diffunditur subdivisio quædam Ecclesiæ Constitutæ cujus membra *Recorditæ* vocantur. Secundum hos, “Ecclesia ex solis prædestinatis constat, etsi multi eorum in statu peccati versentur ; omnes enim illi, serius ocius, *vocationem efficacem* habebunt, quæ eos ad intrandum insuperabiliter adiget. Idea visibilis Ecclesiæ ; secundum eorum doctores, figmentum est : quicumque ad eorum *invisibilem ecclesiam* non pertinent extra viam salutis sunt.”*—*Conybeare*, p. 80.

* “The Church consists of the former [the predestined] only, though many of them are now living in vice ; for they will all, sooner or later, receive that *effectual calling* which will irresistibly compel them to come in. The notion of a Visible Church is (according to these preachers) a

Quoniam vero hi sunt ex iis fanaticis quos in hoc opere praetermittimus (D. 2, n. 33, *not*), insaniam istam quam brevissime perstringemus. Qui plura velit, adeat Bellarmin. Stapleton, loc. cit. Liber. D. 1, n. 20, &c. Regnier, Tournelly, &c.

83. Propositio II—Ecclesia non constat ex omnibus aut solis
PK.EDESTINATIS.

84. Probatur *Prima Pars*. Si omnes praedestinati sint membra Ecclesiae, ergo omnes qui ultimo salvabuntur, etsi nunc Judaei sint, Turcae, Pagani, Athei, nec baptismum nec fidem sive internam sive externam habentes; cum iis qui Christiani audiunt, qua Christianis, nihil commune sive exterius sive interius habentes; attamen vera membra Corporis Christi, veri Christiani sunt. Quod quantum abhorret ab universa Scriptura, ab universo sensu et traditione Ecclesiae omni aëvo, nimis manifestum est. “Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti miseri-

falsity: all who do not belong to their *Invisible Church* are without the pale of salvation.”

Isti Recorditæ, secundum eundem Conybeare, multum inclinant ad •Judaismum, et “quorundam ex iis sola religio esse videtur amor Judaeorum et odium Catholicorum”—[“The religion of some members of this party seems to consist solely in love of Jews and hatred of Papists”] (p. 83). Quidam ex eorum ministris recens defunctus solebat, eodem teste (p. 81), legere verba Joan. iii. 16 et xii. 47, pro verbo *mundum* reponendo *electos*, hoc modo:—“Sic enim Deus dilexit *electos*—Non enim veni ut judicem *electos*, sed ut salvificem *electos*.”

cordiam, nunc autem misericordiam consecuti 1 Pet. ii. 9, 10.

85. Probatur *Secunda Pars*. Ex jam probatis omnes fideles particularium ecclesiarum Romæ, Ephesi, Corinthi, &c., quibus suas epistolas dedit S. Paulus, et boni et mali, certissimo et verissime fuerunt membra Ecclesiæ Christi. Ergo, si Ecclesia constet ex solis prædestinatis, omnes illi fuerunt prædestinati. Quod quam vehementer opponatur universo tenori illarum Epistolarum, in quibus, super omnia, infinitis modis, suam anxietatem manifestat Apostolus et timorem de eorum perseverantia finali, etiam nimis manifestum est.

Sectio Quinta.—AN HÆRETICI AUT SCHISMATICI SINT
MEMBRA ECCLESIAE.

86. Haeretici alii sunt publici, alii privati, alii pure interni. De haereticis publicis necnon et de schismaticis alio loco disseremus. In praesenti Disputatione de solis haereticis occultis et internis sermonem habemus. Controversia autem quæ de his movetur pure domestica est, ut statim videbitur, et inter Theologos omnino libere agitur.

87. Longe communior esse videtur sententia affirmans hæreticos occultos, non solum internos sed externos, esse vere membra Ecclesiæ etsi mortua. Ita Bellarmin. L. 3, C. 10 ; A Lapide, in Ephes, iv. 16 ; Tournelly, v. 1, p. 607 ; Kilber, Princip. D. 2, n. 92 ; Sardagna, n. 496 ; Wiggers, n. 75 ; Daelman, Q. 5, Obs. 1 ; Regnier, S. 2, C. 6 ; Antoine, S. 4, C. 3 ; Charmes, D. 1, C. 2, A. 4 ; Perrone, de Relig. P. 2, n. 196 ; Cercia, S. 2, Lect. 5, et alii.

t

! I

I ■

■ fi

11

g I

I

I'

fl.

I ,

F I

- S?

? l

EI

S

' £

RB

ii j

q

», ■.

"s ;

j

1 B

j

H1

I I

88. Negant vero hæreticos occultos etiam internos esse membra Ecclesiæ Suarez, de Fide, D. 9, S. 1, n. 24 ; Turcremata ibidem a Suar, citatus ; Liberius, D. 1, Cont. 8 ; Billuart, de Reg. Fidei, D. 3, A. 2, § 4, et de Incarnat. D. 9, A. 2, § 2.

89. Hæreticos occultos internos esse membra Ecclesiæ, sed non externos, tenent Dens, n. 71, vi. ; Henno, D. 2, Q. 3, A. 1, qui tamen postea (de Incarnat. D. 14, Q. 3, A. 3, Conci. 3), diserte affirmat nullum hæreticum etiam pure internum esse membrum Ecclesiæ.

90. Obscure loquuntur Herincx, D. 5, n. 20 ; Stapleton, Relect. C. 1, Q. 2, A. 3. Totam hanc controversiam esse multum de nomine dicunt iidem Herincx, Kilber, Billuart, Wiggers, qui, n. 74, hæc habet:— “Non videtur inter dictos auctores tam esse pugnantia in re, quam in modo loquendi, si quis propius eorum verba et sensum inspiciat ; quia neque priores negarent ejusmodi occultos infideles externis vinculis adhuc Ecclesiæ adhærere et colligari, et externam Ecclesiæ formam participare: neque posteriores affirmarent tales interna Ecclesiæ forma et interna unione Ecclesiæ esse conjunctos. Quare diversitas illorum tota in eo videtur versari, utrum propter externam formam quam tales occulti infideles communicant, et externam unionem, qua reliquis Ecclesiæ partibus cohærent, dici possunt esse in Ecclesia, aut ejus esse partes et membra ; quemadmodum si disputaretur, utrum brachium aridum, sed pelle et ossibus ac nervis colliærens reliquo corpori cum sua figura et dclineamentis, possit dici membrum hominis, et esse in homine tanquam ejus pars?”

91. Qui argumenta pro utraque sententia plene exposita habere velit, adeat, ex una parte, Bellarminum et,

ex altera, Libcrium a Jesu et Billuart. Nos unum aut alterum illorum argumentorum quæ ex Rationibus Theologicis derivantur (quæ enim ex Scriptura et Patribus afferuntur nimis obscura et incerta sunt), hic breviter excutiemus. Deinde quid nobis verosimilius esse videtur declarabimus.

Argumenta pro sententia affirmante occultos hæreticos esse
Membra Ecclesiae.

k
B-

92. *Primum Argumentum.* Si occulti hæretici non sint membra Ecclesiae, læditur ejusdem Visibilitas ; sciri enim nequit quis sit vere fidelis. Deinde, læditur vis argumenti contra sententiam hæreticalem quæ facit Ecclesiam constare ex solis justis, aut ex solis prædestinatis, sciz., istam sententiam facere Ecclesiam invisibilem.

n

93. Huic argumento responderi potest. Quoad Primam partem, vid. infra, D. 5, n. 155. Quoad Secundam partem. I. Si argumentum illud sit infirmum, esto, deseratur. Alia enim sunt argumenta plura et firmissima, ut patet ex supra allatis, n. 7—13. II. Longe longeque facilius est alia peccata quæ in occulto committuntur occulta tenere, quam peccatum hæreseos. Qui enim reus est peccati gravis v. g. libidinis, perjurii, vindictæ, furti, &c., nisi homo sit vere perditissimus, peccatum illud, vel pudore, vel infamiæ aut poenarum timore, vel omnibus simul, vehementer actus, omni modo occultare conabitur. Et hoc verum est non solum de peccatis contra jus naturale, sed etiam de peccatis contra legem divinam positivam, et etiam legem pure ecclesiasticam—in fideli, inquam, qui has leges vere existere novit et ligare credit : quale esset peccatum celandi grave in confessione, frangendi jejunium ante communi-

onem, edendi carnes feria sexta, &c. Hæc omnia experientia quotidiana constant. Quoad hæreticos vero—non jam loquor de iis qui subito motu superbite aut aliæ passionis momentanee vieti, de quodam dogmate fidei dubitant aut illud rejiciunt, sed cito dolentes et vere pœnitentes, ad sensum sanum revertentes fidem integre recuperant: sed de iis loquor in quos, a spiritu obedientiæ erga Ecclesiam penitus alienatos, spiritus superbite et rebellionis dominatur—tantum abest ut hi de sua hæresi celanda anxii sint, quod e contrario in ea gloriocentur, et odio quodam rabido adversus Ecclesiam inflammati et furentes, eam quoquo modo, calumniando, factiones fovendo, sectam hæreticalem formando, aut cuidam jam formata? se jungendo, &c., vexare et subvertere conentur. Quæ omnia experientia simili quotidiana et universali constant. Fieri quidem potest, prout et aliquando fit, quod aliquis indolis peculiariter hypocriticæ, et in circumstantiis peculiaribus, hæresim suam, forsan etiam diu, dissimulet, et religionem quam non credit profiteatur. Sed casus hujusmodi accidentales sunt et rarissimi. Ex eo igitur quod qui facit Ecclesiam constare ex solis justis faciat Ecclesiam invisibilem, non sequitur et illum qui facit Ecclesiam constare ex solis fidelibus vere talibus similiter facere Ecclesiam invisibilem.

III. Deus qui permittit, et etiam in verbo suo expresse prædicat multos fore peccatores in Ecclesia, non prædicat multos in ea fore hæreticos: imo ex verbo illo haud obscure eruitur, ut suo loco videbimus, eum hoc non esse p̄missurum.

* Quicquid de præsentis quæstione dicatur quoad hæreticos occultos, an sint membra Ecclesiæ, nullomodo admittendam censeo doctrinam

94. Quoad objectionem Palmeri et aliorum heterodoxorum, ex Jansenistis diu in Ecclesia latitantibus, vid. dicenda ubi de Unitate Fidei Ecclesiae Catholicae, ex quibus jam dicta amplius confirmabuntur.

95. *Secundum Argumentum.* I. Hæretici occulti non amittunt Jurisdictionem quam ante hæresim habebant. Atqui amitterent, si per hæresim cessarent esse membra Ecclesiae. Absurdum enim esset dicere eos jurisdictionem in Ecclesia habere qui penitus extra eam sunt. II. Hæc absurditas maxima esset in casu Papæ qui adhuc haberet supremam et universalem jurisdictionem, etiam super ipsam universalem Ecclesiam, etsi, factus hæreticus occultus, cessaret esse ejusdem membrum.

96. Huic argumento respondetur, quoad *primam* partem : Concedo primam propositionem : Nego secundam et tertiam. Potestatem ordinis in quovis hæretico permanere omnes tenent. Ecclesiam *posse*, pro bono fidelium, etiam iis qui certo et notorie non sunt membra Ecclesiae jurisdictionem concedere, modo jurisdictionis capaces sint, nemo negat. Imo hodie communissima et, ut credo, moraliter certa est sententia quæ docet quosvis sacerdotes, etiam hæreticos excommunicatos vitandos, si alius desit, in articulo mortis absolvere posse. Si ergo tales, etsi in illo casu necessitatis habeant jurisdictionem in foro hoc interno, “ ne hac ipsa occasione aliquis pereat,” attamen maneant omnino extra Ecclesiam ; quomodo concludi potest hæreticos occultos manere membra Ecclesiae, ex eo quod Ecclesia non auferat ab illis jurisdic-

Bellarmini : — “Quamvis sperandum sit majorem partem eorum qui profitentur fidem, esse sinceros, id tamen non est certum.” (Loc. cit. *t'ers.* “ Posterior voro.”) Hoc certissimum mihi videtur.

tionem quam antea habuerint—quiete et salute animarum hoc requirente ?

97. Quoad *secundam* partem argumenti. Etsi Papam ut privatam personam et privatum doctorem fallibilem esse, et ideo in errorem materiale contra fidem incidere posse, omnes hodie concedunt ; non desunt tamen graves auctores qui docent eum non posse fieri hæreticum formalem, saltem obstinatum ; quod et mihi valde probabile est, de quo suo loco. Concesso tamen quod fieri potest hæreticus, dico non magis repugnare Christum ei hanc jurisdictionem continuare, quamvis per hæresi occultam cessaverit esse membrum Ecclesiæ, quam quod Ecclesia continuet jurisdictionem cuivis occulto hæretico Episcopo aut parochi, aut publico hæretico in casu dicto necessitatis restituat : bono Ecclesiæ in utroque casu pariter, imo in casu Papæ multo magis, hoc requirente.

98. *Tertium Argumentum.* Ecclesiæ membra ei uniuntur quibusdam vinculis externis (D. 6), inter quæ externa professio unius et ejusdem fidei. Atqui hæreticus occultus hoc vinculum retinet—quæstio enim hic est de hoc solo vinculo. Insuper, Ecclesia est societas visibilis constans ex membris quæ in unam hanc societatem solis vinculis externis et visibilibus colligantur. Denique non magis solvitur communio cum Ecclesia per hæresim quam per rebellionem schismaticam. Atqui qui rebellis est tantum in corde, aut etiam exterius sed clanculum, per hoc non cessat esse membrum Ecclesiæ. A pari ergo neque cessare debet hæreticus internus aut externus occultus.

99. Hoc argumentum, quod intrinsecum est et directum, mihi non temnendum videtur. Attamen contra

dici potest. I. Non sufficit externa professio fidei non existentis: neque potest aliquis Ecclesiae uniri puro mendacio et simulatione, qualis est ista professio. Hæreticus occultus non magis jure vocari potest fidelis quam hæreticus publicus. Se quidem fidelem vocat, et talis esse apparet; sed aliud est vocari aut apparere, aliud *esse* talem aut talem. II. Vincula communionis externa sane et visibilia esse debent, sed vera non ficta. III. Supposito quod rebellio schismatica, ut ponat rebellem extra Ecclesiam, debeat esse publica, attamen contra ultimam partem argumenti dici potest quod rebellio in suo conceptu involvat necessario ideam facti cujusdam publici: neque diceretur aliquis adhuc rebellare, nisi cum ad tale factum perventum esset; sicut non diceretur rex adversus alium regem bellum gerere, nisi exercitus moveretur, &c. Sed hæreticus æque hæreticus est, sive hæresim suam publice manifestet sive non: equidem evulgando illam magis peccat propter scandalum, &c., sed non est magis hæreticus. Insuper, qui pure schismaticus est retinet vinculum fidei; hæreticus vero nullum retinet vinculum nisi externum et fictum.

Argumenta pro sententia negante occultos hæreticos esse
Membra Ecclesie.

100. *Primum Argumentum.* Ille non est membrum Ecclesiae qui vinculum principale communionis, sciz., unitatis fidei, penitus dirupit.

101. Huic argumento respondetur fidem veram requiri ut aliquis ad animam Ecclesiae etiam imperfecte pertineat; sed ut ad corpus pertineat tantum requiri externam professionem fidei. Hæreticus occultus est mem-

bruin Ecclesiæ, sed omnino mortuum, et ei junctum modo imperfectissimo.

102. *Secundum Argumentum*, quod est quædam instantia prioris. Etsi, abstractione mentis, corpus et anima Ecclesiæ separarim considerari possunt, re tamen inseparabilia sunt. Ubi corpus ibi et anima (D. 2, n. 38, 39). Qui ergo nullo modo ad animam pertinet, ad corpus pertinere nequit.

103. Huic responderi potest quod, etsi ipsum corpus Ecclesiæ, propter promissiones divinas, nunquam potest anima privari, longe aliter se res habeat quoad particularia membra, quibus nulla talis promissio facta est. Aliud est quod, juxta decretum Dei, tale aut tale requiratur ad ipsum corpus Ecclesiæ, tanquam proprietas essentialis ; aliud vero quod tale aut tale requiratur ut aliquis pertineat ad corpus. Potest aliquis pertinere ad corpus Ecclesiæ, etsi nullomodo pertineat ad animam, sicut aliquis, ut in casu catechumeni perfecta charitate informati, ad animam pertinere potest quin ad corpus pertineat.

104. Neque contra hoc urgeatur, quod, si ad solum corpus pertineant hæretici, non possunt vocari simpliciter membra Ecclesiæ ; Ecclesia enim non est solum corpus sed corpus cum anima. Respondetur. Si per *simpliciter* intelligatur eodem modo quo cetera membra, patroni sententiæ affirmantis concedunt hæreticos non esse eo modo membra : si vero aliquod aliud intelligatur, controversia desinit in meram logomacchiam.

105. *Tertium Argumentum*. Illi non sunt membra Ecclesiæ qui, ut talia, nullum recipiunt influxum a Christo capite. Tales vero sunt hæretici.

106. Ad majorem respondet Bellarminus (sed aliam

quæstionem, sciz., de membris peccatoribus, C. 9, tractans) :—“Non esse necesse ut Christus in omnibus suis membris aliquid operetur : sunt enim quædam membra mortua et arida, quæ solum adhærent reliquis externa conjunctione.”

107. Alia sunt argumenta pro et contra, quæ apud auctores citatos inveniri possunt. De hac quæstione sequentia noto. I. Etsi plures stent Theologi pro sententia affirmante hæreticos occultos esse membra Ecclesiæ, non desunt magni Auctores qui negantem tenent. Argumenta pro hac sententia fortiora nobis semper visa sunt, et idcirco in eam semper vehementer inclinavimus. II. Certum est illos hæreticos ad animam Ecclesiæ nul-
 lomo modo pertinere, neque ad corpus eodem modo quo fideles veri etsi scelestissimi : magnum est enim illud vinculum fidei, quod hi tenent, illi vero prorsus dissolverunt. III. Peccatores fideles, non tantum in foro Ecclesiæ sed etiam coram Deo, vera sunt membra Ecclesiæ, ut patet ex dictis n. 7, &c. Hæreticos autem esse coram Deo membra Ecclesiæ quomodo affirmari possit non video. Habent enim istud solum vinculum externæ et fictæ professionis, quod, quicquid apud homines valeat, coram Deo falli nescio nihil est. IV. Coram Ecclesia reputantur membra, sed per errorem ; Ecclesia enim eos sentit esse quod non sunt. Ideoque si ad aliquid affirmandum adigerer, quod dicit Bellarminus de nonbaptizatis qui pro baptizatis habentur, et ego de hæreticis occultis qui pro fidelibus veris habentur dicerem, sciz. “eos esse de Ecclesia secundum apparentiam exteriorem tantum, id est, putative non vere.” Et ita, præter Auctores supra citatos, sentire videntur Gregor. de Valentia, Tanner, Pichler qui (n. 19), ait:—“Hæretici occulti apparen-

ter et in foro externo sunt in Ecclesia, rcaliter et in foro conscientiae sunt extra.” Quod autem dicit hic auctor, sic forsitan conciliari sententiam Bellarmini cum sententiis oppositis, puto non esse verum. Sylvius ait, “Hæreticos . . . quantumcumque sint occulti, secundum rei veritatem et absolute loquendo non esse in Ecclesia ; in ea tamen esse secundum quid, id est, secundum exteriorem apparentiam, et secundum externam sacramentorum perceptionem. Ita Hosius, Lensæus, Bannes.” Timor vero ne ex hac admissa sententia lædatur Visibilitas Ecclesiae, inutilis est et inanis. V. Nullum discrimen ponere inter hæreticos occultos externos et internos : utrique vel simul intra vel simul extra Ecclesiam sunt.

108. Ilæc olim ita cogitata confirmantur duobus documentis quæ recentius ad manus pervenerunt. Primum est ex præclara Constitutione Pontificia *Ineffabilis Deus*, de dogmatica definitione Immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ : in qua, post ipsam definitionem hujus dogmatis fidei, hæc verba statim adduntur :—“ Quapropter si qui secus ac a Nobis definitura est, quod Deus avertat, *præsumserint corde sentire*, ii noverint, ac porro sciant, se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, *et ab unitate Ecclesiae defecisse*, ac præterea facto ipso suo semet pœnis a jure statutis subicere si quod ore sentiunt, verbo aut scripto aut alio quovis externo modo significare ausi fuerint” (Acta Pii IX. p. 616). In prima parte hujus periodi loquitur Pontifex de hæreticis non solum occultis sed occultis internis, ut patet ex verbis “corde sentire,” et ex distinctione inter hos et eos qui quod corde sentiunt exterius significant. Deinde illos hæreticos internos absolute ab Ecclesia præcisos, nec amplius ejus membra esse affirmat, quod plane.

ex obvio et communi usu, significant verba “ ab unitate Ecclesiae defecisse.” Secundum documentum est ex Bulla Eugonii IV., *Cantate Domino*, in qua, post dogmaticam expositionem dogmatis S. Trinitatis, statim hæc habentur “ *Quoscunque* ergo adversa et contraria *sentientes*, reprobatur et anathematizatur et a Christi corpore, quod est Ecclesia, *alienos* esse denunciatur.” Per “*quoscunque* contraria sentientes” satis clare significatur quoscunque hæreticos etiam “sentientes” seu internos : et hi simpliciter alieni ab Ecclesia sunt ; ergo non membra Ecclesiae. Scio hos Pontifices non intendisse aliquid definire de præsentis quæstione ; sed quæ sit opinio ad quam inclinarunt haud obscure ex eorum verbis colligitur.

Sectio Sexta—AN FILII HÆRETICORUM INFANTES, VALIDE BAPTIZATI, SINT MEMBRA ECCLESIAE?

109. Quæstio est de iis qui in secta aliqua hæreticali nascuntur, et ibidem valide baptizantur. Quod an hæc Ecclesiae uniantur dogma certum est. Quod etiam corpori Ecclesiae consocientur nihil planum est. Baptismus enim quo tincti fuerunt validus esse supponitur, et idem est ac si in Ecclesia collatus fuisset. Jamvero ex dicendis Baptismus est janua per quam in Ecclesiam ingreditur (n. 113). Fiunt ergo membra Ecclesiae et ut talia manent saltem usque dum rationis usum adepti fuerint. Hinc in recensendo multitudinem fidelium ad evincendam amplitudinem Ecclesiae et Catholicitatem in membris, omnes nati in sectis hæreticis et schismaticis, valide baptizati, usque ad usum rationis, tanquam nostri computandi sunt. Ilæc iis conformia videntur quæ habet Benedict. XIV. in Epistola *Singulari nos* 9 Febr. 1749 :

B^{J?}

—“Exploratum habemus, ab hæreticis baptizatos, si ad eam ætatem venerint, in qua bona a malis dispescere per se possint, atque erroribus baptizantis adhæreant, illos quidem ab Ecclesiæ unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes.” Bullar. vol. vii. pag. 26 (Ed. Mechl.) Ergo sunt vere in Ecclesia usquedum erroribus suæ sectæ adhæreant.

110. Postquam vero ad eam pervenerint ætatem in qua capaces sunt peccati hæreseos et schismatis, si forsan ignorantia invincibili adhuc laborent et in ea permaneant, et ideo non nisi materialiter sint hæretici et schismatici, dubitari potest an jam inter membra Ecclesiæ numerandi sint. Pro parte negante dici potest cos inter et Ecclesiam nullum intercedere vinculum communionis ; non fidei, fidem enim falsam tenent et profitentur ; non subjectionis legitimis pastoribus, contra hos enim aperte rebelles, pastoribus illegitimis aut nullis se subjectos exhibent ; non ejusdem cultus, cultu enim Ecclesiæ publice deserto et rejecto, cultum schismaticum solum frequentant. Pro parte affirmante dici potest, quod cum hi per baptismum vera membra Ecclesiæ facti fuerint, non possunt ab ea nisi per formalem solutionem communionis separari. Sane si de talibus certi essemus cos non esse nisi materiales hæreticos et schismaticos, non video quomodo non posset affirmari eos esse membra Ecclesiæ. Ita sentit Bouvier, pag. 291. Sed cum de hoc non nisi conjecturas habere possumus, dicendum tantum est quod, si tales dentur, non sunt de Ecclesia discernibiliter et visibiliter.

Sectio Septima.—AN NON BAPTIZATI POSSINT ESSE MEMBRA ECCLESIAE ?

111. Qui nec baptismum nec fidem habent nullo modo ad Ecclesiam pertinent ; quod “ apud omnes indubitatum est,” ait Suarez, D. 2, S. 1, n. 20. De Catechumenis vero qui fidem habent et profitentur, sed adhuc non sunt baptizati, disputatur. Eos esse membra Ecclesiae affirmat Suarez, ibid. n. 18. Negat vero sententia longe communior et probabilior, quam tenent Bellarm., Liberius, Valentia, &c. &c.

112. Hæc breviter dicenda videntur. I. Catechumeni sunt membra Ecclesiae potentialiter, ut ait Bellarm. ; seu secundum meritum, ut ait Valentia ; seu in voto, ut ait Billuart ; seu voto ac merito, ut ait Tanner, seu aliis modis impropriis et figurativis. II. Pertinent ad animam Ecclesiae, et, si habeant charitatem, perfecte.

113. III. Catechumeni non pertinent ad corpus Ecclesiae. Hoc certum nobis videtur. Probatur, *Primo* ex S. Scriptura. “ In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi sive Gentiles, sive servi sive liberi:” 1 Cor. xii. 13. Baptismus ibi exhibetur tanquam medium quo omnia membra Ecclesiae in unum corpus coadunantur. *Secundo*. In decreto Florentino pro Armenis dicitur :—“ Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis janua est ; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiae.” Item Cone. Trident. Sess. 14, de Pœnit. C. 2 :—“ Constat certe baptismi ministrum judicem esse non oportere, quum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius *in ipsam per*

baptismi januam fuerit ingressus” Baptismus ergo est id per quod efficitur de corpore Ecclesiæ, per quod in Ecclesiam primum ingredimur. Sed tale non esset si sine eo possit aliquis ad corpus Ecclesiæ pertinere.

114. IV. Catechumeni non possunt vocari simpliciter membra Ecclesiæ. Fateor non improbabiliter dici posse hanc assertionem esse tantum de modo loquendi. Sed etiam in modo loquendi ille præferendus est qui accuratior est et usui magis conformis. Talia videtur assertio nostra. Tum quia Tridentinum dicit nos per baptismum, tanquam per januam, in *ipsam*, i. e. Ecclesiam, ingredi. Tum quia Ecclesia est societas arctissime una, et ideo vocatur corpus (D. 6, n. 79, &c., 93, &c.) ; qui ergo ad corpus non pertinet dici non potest simpliciter ad Ecclesiam pertinere.

115. *Object.* Simpliciter membrum Ecclesiæ vocatur qui pertinet ad corpus, etsi nullomodo ad animam pertineat. Ergo qui ad animam pertinet vocari simpliciter debet membrum Ecclesiæ, etsi ad corpus non pertineat.

116. *Resp.* I. Antecedens negari potest, forsitan et debet. Solum exemplum est in hæreticis occultis : de quibus vid. jam dicta, n. 107. De peccatoribus vero fidelibus vid. dicta, n. 28, 29. *Resp.* II. Nego consequentiam. Vocatur aliquis membrum Ecclesiæ præcipue (quidam dicerent *solum*, sciz., qui tenent hæreticos occultos esse membra Ecclesiæ), ob relationem quam habet ad corpus. “Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, *omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt*, &c. : 1 Cor. xii. 12. Hinc dicitur aliquis membrum corporis Ecclesiæ, nunquam autem membrum animæ, sed tantum ad eam pertinere de ea

magis vel minus participare. Id quod habet membra et ex membris constat corpus est—ipsa fidelium congregatio — corpus quidem anima formatum, sed tamen corpus.

117. Quoad objectionem, quod extra Ecclesiam non datur salus, et tamen catechumeni ante baptismum morientes salvari possunt ; de hoc suo loco, ubi de Salute extra Ecclesiam.

Sectio Octava AN EXCOMMUNICATI SINT MEMBRA
ECCLESIAE ?

118. Hic iterum scinduntur Theologi. Excommunicatos, sciz., excommunicatione majori (per minorem enim excommunicationem poni aliquem extra Ecclesiam nemo dicit), esse membra Ecclesiae affirmant simpliciter Bannes, pag. 47 ; Suarez, D. 9, S. 1, n. 14, &c. ; Liberius, n. 156 ; Pichler, n. 15. Negant simpliciter Bellarmin. C. 6 ; Billuart, § 5 ; Henno, Q. 3, A. 1, Conci. 2 ; Kick, n. 130 ; Herincx, l. c. n. 19 ; Wiggers, n. 61 ; Sylvius, Controv. L. 3, Q. 1, A. 9 ; Charmes, C. 2, A. 5. Alii varie distinguunt, quidam, ut Regnier, C. 6, dicentes notorios excommunicatos esse extra Ecclesiam, non autem occultos : alii dicentes solos excommunicatos non toleratos, seu nominatim denunciatos esse extra Ecclesiam. Ita Zallinger, Jus Pub. n. 384 ; Kilber, n. 92 ; Sardagna, n. 486, 489 ; Antoine, C. 3, A. 1, § 5 ; Daelman, vol. iv. p. 154.

119. Qui momenta singularum ex illis sententiis habere velit, adeat auctores citatos. Sequentia breviter notamus. I. Ecclesiam habere potestatem praecidendi et extra se penitus ejiciendi non tantum haereticos et schismaticos, sed etiam alios peccatores grandes, contra

Liberium, η. 165, omnino certum mihi videtur. Quæstio igitur sola est de mente Ecclesiæ, an de facto intendat per excommunicationem sic præcidere. II. Excommunicatos toleratos puto probabilius manere membra Ecclesiæ. III. Quoad vitandos, perpensis argumentis ex utraque parte, res mihi incerta est. IV. Forsan dici potest controversiam esse ultum de nomine. Omnes enim Theologi inter se consentiunt excommunicatos, præsertim vitandos, privari communicatione in talibus et talibus bonis spiritualibus, v. g. usu sacramentorum, suffragiis Ecclesiæ, &c. Quæstio ergo est an qui talis sit dici debeat extra Ecclesiam esse : et de hac quæstione nihil adhuc definitum est. V. Etsi incertum sit an Ecclesia intendat omnem vitandum, eo ipso et vi excommunicationis denunciatae, expellere ab Ecclesia, particularis aliqua excommunicatio tali concipi potest verborum forma quæ clare significat mentem Ecclesiæ. Hinc si excommunicationis sententia sequenti forma, quam ex Concilio Arausicano citat *Liberius*, l. c., aut alia simili, exprimatur et declaretur, saltem si a Papa aut Ecclesia (in qua semper necessario includitur Papa) hoc fiat, censeo,

* Similis est forma in *Constitué* Benedicti XIV. *Obsurdescit*. 20 Decemb. 1742 (Bullar. vol. ii., p. 29) :—“Deinde ipsum Hieronymum de Bock [consecratum in pseudoepiscopum Harlemensem, a quodam Meyndarts, capite factionis Jansenisticæ ibidem existentis], et quotquot huic execrabili facinori operam, consilium, consensum præstiterunt, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiæ communionem segregatos, et prorsus schismaticos habendos, et vitandos esse iterum constituimus.” Similis est forma in alio Brevi, *Hieronymo de Bock*, 26 Junii, 1745 (vol. iii. p. 167). iiiiæ tamen formæ sunt potius declaratoriae : ista enim factio jam longe antea aperte et notorie schisraatica evaserat.

contra eundem Liberium, sic excommunicatum omnino extra Ecclesiam poni. Forma autem est:—“Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei et iudicio Sancti Spiritus a gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, et consortio totius Christianitatis eliminamus, quoadusque resipiscant, et Ecclesiæ satisfaciant.” Ratio patet. In hujusmodi enim forma diserte affirmatur excommunicatum præcidi ab Ecclesia. Ecclesiam vero habere potestatem sic agendi, ut diximus, certum est.

DISPUTATIO QUARTA.

DE IN DEFECTIBILITATE ECCLESIAE.

- Sectio Prima : Status Quæstionis explicatur.
Sectio Secunda : Probatur Doctrina Catholica.
Sectio Tertia: Solvuntur Objectiones quædani.

§

DISPUTATIO QUARTA.

DE IXDEFECTIBILITATE ECCLESIAE.

Sectio Prima.—STATUS QUÆSTIONIS EXPLICATUR.

1. INTER omnes præsentis adversarios convenit Ecclesiam eo sensu non posse deficere, quod tota penitus e terra deleatur et pereat, prout e. g. periit imperium Babylonium, ita ut non amplius usque in finem mundi existât societas aliqua quæ jure vocari possit Ecclesia Christi. Sunt quidem Protestantes multi qui dicunt Ecclesiam ita de facto defecisse, quod, si non a primo seculo, saltem a plurimis seculis, non amplius existât aliqua societas, seu societatum collectio, quæ perfectam Ecclesiae ideam in se repræsentat. Tenent tamen Ecclesiam non omnino periisse aut perire posse, sed, etsi aliquoties infirmatam, imminutam, imo forsitan pro brevi tempore omnino obscuratam vel extinctam, attamen eam iterum in lucem erupturam, et pristinum suum statum vel in toto vel in parte recuperaturam.

2. Caput altius extollere et latius spargi recenter inceperunt errores quidam, haud ita tamen recenter nati, de progressu, ut aiunt, cultus civilis, &c., et ipsius Christianae Religionis. Horum commentorum fautores quidam dicunt hanc Religionem, præteritis seculis et hominum tunc viventium necessitatibus satis apte convenien-

tem, hodie tamen, utpote novo rerum statui omnino ineptam, jam effeta, mortuam, imo mortiferam esse. Alii vero dicunt Religionem Christianam esse "religionem progressus," et ex natura sua et mente Christi, capacem esse explicationum et accommodationum in indefinitum, quibus rerum progressui congruere efficiatur: vid. Encycl. Pii IX. *Qui pluribus*, 9 Novemb. 1846; *Condi. Prodnc. Avenionense*, 1849, tit. 1, cap. 2, § 1; *Condi. Prov. Lugdunense*, 1851, Dee. 8, de Ecclesia, n. 8; *Immutab. Religionis Christiana*, pag. 6, &c.; Rogers, "Eclipse of Faith," passim. Ipsorum operum in quibus isti errores docentur et propugnantur nomina praetermittimus.

3. Sed cum istis adversariis et aliis ejusdem generis, qui puri infideles et deistæ sunt et Christum e medio omnino tollunt, controversiam hic non habemus, sed cum haereticis. Qui ex prioribus admittunt—si tamen aliqui bona fide admittant—communes fontes argumentorum (D. 2, Sect. 4), ex infra dicendis abundanter refutati manebunt: qui vero fontes illos non admittunt in Tractatu de Religione refutantur.

4. Hæretici in duobus errant, sciz., de *possibilitate* defectionis Ecclesiæ, et *defacto* defectionis. Eorum sententiæ de possibilitate defectionis ad tres reduci possunt. *Prima* est quæ affirmat Ecclesiam ad tempus omnino deficere posse. *Secunda* dicit Ecclesiam invisibilem deficere non posse, non ita vero Ecclesiam visibilem. Ita Evangelicales multi, forsann communiter. Sunt qui di-

* Ecclesiæ perpetuitatem negasse Socinianos et Armenianos, praesertim Episcopium, Curcellæum et Limborchium, ait Palmer, P. 1,

cunt quasi duas dari Ecclesias, unam visibilem, alteram invisibilem : et hi affirmant Ecclesiam visibilem interdum deficere posse, non vero invisibilem. Alii dicunt non dari Ecclesiam visibilem, sed unam veram Ecclesiam Christi esse invisibilem : hi dicunt, non quod Ecclesia visibilis deficere possit, sed talem Ecclesiam non existere, nec unquam extitisse. *Tertia* sententia affirmat quod, etsi Ecclesia, neque quoad corpus neque quoad animam, omnino, etiam ad tempus, deficere potest, attamen ex parte magis aut minus deficere potest, ad tempus aut etiam in perpetuum, sciz., amittendo hoc vel illud attributum, vel id minutum et vitiatum retinendo. Sic quidam dicunt Ecclesiam posse universaliter pravis moribus aut quibusdam hæresibus, aut etiam idololatria, corrumpi. Alii dicunt tales corruptiones non posse quidem totam Ecclesiam occupare et penetrare, sed tantum in ea late grassari. Alii dicunt Unitatem Ecclesiae posse solvi, aut graviter vulnerari ; aut Sanctitatem posse amitti aut inultum depravari ; ita et alias proprietates sigillatim, sed non omnes nec forsitan plerasque simul sumptas. Hæ sententiae omnes apud varios auctores et sectas Protestantium modernorum varie tenentur. Triplex hæc classis ad (piam recentium sententias revocavimus substantialiter congruit cum triplici classe sententiarum veterum Protestantium, quam tradit Stapleton, Relect. Cont. 1, Q. 3, A. 2. Hoc omnibus sententiis acatholicorum commune est, quod nulla earum statuatur aut admittatur indefectibilitatem Ecclesiae, eo sensu plenario et absoluto, quo nos eam jam exponemus et defendemus. Idem commune habent omnes sententiae Protestanticae de visibilitate Ecclesiae : D. 5, η. 16, iv.

5. Quoad *factum* defectionis, omnes Protestantes eu-

jusvis sectæ, necessario tenent Ecclesiam aliquo modo defecisse : alioquin enim sine ulla causa factum fuisset schisma magnum Protestantium seculi decimi sexti. Veterum Protestantum septem opiniones de epocha defectionis recenset Stapleton, Relect. C. 1, Q. 5, A. 3. Harum opinionum duæ extremæ sunt, quarum una affirmat defectionem incepisse a Concilio Constantiensi, quod paucis ultra centum annos ante schisma Lutlieranum celebratum est ; altera vero extrema dicit defectionem ab ipso tempore Apostolorum incepisse, in eo enim tempore, et ex eo, Ecclesia cæno errorum maculata est. Utramque sententiam, more suo, pro occasionum diversitate, tenuit Lutherus. Sine dubio ex istis veteribus, prout quisque somnium suum somniavit, et alias plures opiniones excerpere potuit præfatus Theologus. Saltem, nostra hac ætate in hisce regionibus, non difficilius numerares arenas in litore, quam opiniones de tempore et aliis adjunctis defectionis Ecclesiæ, quas in scriptis et concionibus quotidie effutiunt fanatici ministelli, præsertim inter Dissidentes, “ fluctus feri maris despumantes suas confusiones” (Jud. 13). Quoad Theologos vero Protestantos nostros quidam tenent ultimam, supra positam, opinionem extremam, sciz., defectionem incepisse etiam in, aut saltem ab, ævo Apostolieo. Etsi enim non semper nomine *defectionis* vocent illam fidei corruptionem qua, etiam tempore Apostolorum aut saltem paulo post, Ecclesiam maculatam fuisse affirmant, talis tamen corruptio, secundum Catholicam doctrinam, vera defectio fuisset. Ita Goode, “ Divina Regula,” &c., C. 4, S. 9 ; Whately, in multis suorum operum locis, et alii Protestantici Theologi non solum ecclesiæ inferioris. quales hi sunt, sed etiam Puseyitæ. ut Palmer, qui,

ut postea videbimus, ad suum systema de Unitate fidei tuendum, animose contendit etiam Ecclesiam Apostolicam erroribus hæreticalibus inquinatam fuisse. Quid teneat Ecclesia Constituta, in suis Homiliis, vid. D. 5, n. 20. Sed de erroribus istis iterum redibit sermo.

6. Doctrina Catholica est, Christum, instituendo Ecclesiam, eam quibusdam proprietatibus ditasse, prout in sequentibus Disputationibus late de singulis ostendemus. Hisce proprietatibus Ecclesia constituta est. Nos vero, tenemus omnes et singulas illas proprietates, ex decreto et promissione Dei absoluta, continenter et perpetuo, “omnibus diebus usque ad consummationem seculi,” integras et constantes esse in Ecclesia permansuras; ita ut ne unam quidem ex illis aut diabolus aut mundus aut caro, aut quicquid contrarium, possit, etiam per breve tempus, aut perdere aut infirmare aut ei tenebras offundere.

7. Nota tamen Ecclesiae indefectibilitatem non comprehendere singulas partes. Quævis enim pars Ecclesiae, v. g. ecclesia particularis hujus vel illius dioecesis aut nationis, deficere potest. Quantæcumque autem sint defectiones illæ, semper manebit Ecclesia ipsa indeficiens et indefectibilis. In uno loco deficiunt inulti, in alio multi augeantur. Sic, olim erant regna florentissima Ecclesiae, quæ hodie deserta sunt, et vice versa. Una est tantum pars Ecclesiae quæ est in se indefectibilis, sciz., Sedes Apostolica. Sicut enim toti Ecclesiae facta est promissio indefectibilitatis, ita et Petro et successoribus ejus specialiter facta est promissio eadem. Imo Ecclesia super Petrum et successores ejus, tanquam super petram firmissimam, ædificata, exinde suam indefectibilitatem derivat: et omnis ecclesia particularis immota stat quia in

ea stat, deficit quia ab ea recessit. Quæ omnia suis locis ostendemus.

8. Præsens nostra propositio est omnino generalis. Suas habet Ecclesia proprietates sicut et omnis res creata, quæ existere nequit quin sit talis et talis. Sed quæ sint illæ proprietates in specie hic nec affirmamus nec supponimus. Dicimus tantum illas proprietates, quaecumque sint, esse perpetuas, sensu exposito. Ponatur sequens syllogismus :—Ecclesia quoad omnes et singulas suas proprietates indefectibilis est : Atqui Unitas, Sanctitas, &c., sunt proprietates Ecclesiæ : Ergo illæ in Ecclesia nunquam deficient. In præsentis Disputatione solam majorem propositionem defendimus. Minor quoad omnes suas partes in sequentibus Disputationibus defendetur. Si quis hic quaerat, Nonne et ipsa indefectibilitas sit proprietas Ecclesiæ ? Resp. Concedo, imo et proprietas proprietatum.

9. Nullomodo ex his inferendum est indefectibilitatem diversarum proprietatum hoc solo argumento generali niti. Sufficeret quidem ; singulas tamen proprietates indefectibiles esse suis specialibus et propriis argumentis ostendi potest, prout infra videbitur.

10. Quidam acatholici, inquit Perrone, de Locis, P. 1, n. 334, coarctant indefectibilitatem ad visibilitatem. Sed longe plures sunt qui Ecclesiam invisibilem solam indefectibilem esse contendunt. Hinc est quod plerique theologi, in refellendis erroribus circa indefectibilitatem Ecclesiæ, limitant propositionem ad visibilitatem ; non quasi visibilitatem solam indefectibilem esse tenuerint, sed quia hoc solum contra adversarios existentes probare necesse fuit. “Notandum est,” ait Bellarm., “multos ex nostris tempus terere, dum probant absolute Eccle-

siam. non posse deficere ; nam Calvinus et ceteri hæreticid concedunt; sed dicunt, intelligi debere de Ecclesia invisibili Lib. 3, C. 13. Simili forma cnuunciant propositionem KICK, n. 106 ; SARDAGNA, T. 3, n. 14 ; HENNO, D. 2, Q. 3, A. 3 ; GAZZANIGA, D. 3, C. 3 ; KILBER, n. 104 ; HOOKE, vol. iii., p. 70 ; BOUVIER, p. 261 ; KENRICK, p. 127, et alii multi. Sed quicquid illi dixerint, quoniam certum est (n. 4), nec Protestantes veteres nec modernos admittere indefectibilitatem illam perfectam et omnimodam, damjam expositam (n. 6), sive in Ecclesia visibili sive invisibili, in sequenti propositione istam indefectibilitatem significamus.

11. Ex dictis patet I. in quo distinguitur indefectibilitas a perpetuitate. Asserendo perpetuitatem, non asseritur, saltem non expresse et formaliter asseritur indefectibilitas. Rigorose enim, et nisi Deus aliter ordinasset, dici posset Ecclesiam esse perpetuam, quin sit, saltem in omnibus, indefectibilis : sicut homo manet idem homo usque ad mortem, etsi annorum et morborum pondere gravatus, multimodis quoad corpus et animam deficiat. Supervacaneum autem putamus perpetuitatem distincta propositione defendere ; in indefectibilitate enim includitur, ut minus in majori. Patet II. in quo distinguitur indefectibilitas ab infallibilitate. 1°. Infallibilitas etsi, quoad rem, in indefectibilitate includitur, attamen dicendo indefectibilitatem non dicimus infallibilitatem. Multo minus e converso dicendo infallibilitatem dicimus indefectibilitatem ; infallibilitas enim perpetua est tantum indefectibilitas in una materia, sciz., in iis in quibus Ecclesia est infallibilis. 2°. Dixi “ infallibilitas *perpetua* ; ” rigorose enim dicendo simpliciter Ecclesiam esse infallibilem. non dicimus eam esse in finem mundi infallibilem,

b

I
tv Mi

sed tantum quamdiu durat. Sic, Ecclesia docens Vero Testamenti, secundum communem sententiam, infallibilis erat, sed non in perpetuum.

12. Et hæc de statu hujus quæstionis et de doctrina Theologica dicta sunt, ut ea accuratius et distinctius declarentur: non autem quod intendamus ipsam doctrinam longius argumentando firmare. Ut enim argumenta pro indefectibilitate plene exhiberentur, plerosque ex textibus Scripturæ in quibus sermo est de Ecclesia in unum colligere et scrutari oporteret. Sed putamus non expedire ut hoc onus, in præsentis Disputatione, vel in nos susciperemus vel lectoribus imponeremus. Tum quia omnes illi textus penitus et per singulas partes, suis locis, sparsim per sequentes Disputationes scrutabuntur. Tum quia præsens generalis propositio non est quoad proximam, ut aiunt, tanti momenti; partim quia generatim controversiæ moventur de indeficientia attributorum in specie, v. g. unitatis, sanctitatis, &c., rarissime autem de hac generali propositione; partim quia probata indefectibilitate singulorum attributorum, probatur propositio præsens. Igitur non nisi unum aut alterum textum afferemus, nec in iis evolvendis immorabimur.

Sectio Secunda__PROBATUR DOCTRINA CATHOLICA.

13. Propositio__Ecclesia Christi est quoad omnia et singula sua attributa Indefectibilis.

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

14. “Parvulus datus est nobis . . . Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum Isai. ix. 6, &c.

“Suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem et consumet universa regna hæc : et ipsum stabit in æternum Dan. ii. 44.

Hos textus de Ecclesia Novi Testamenti interpretandos esse postea probabitur.

“Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam Matth. xvi. 18.

“Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti : docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi Matth. xxviii. 19, &c.

Juxta hos textus, ex decreto et promissione divina, Ecclesia *confirmanda* erat et *corroboranda* in judicio et justitia (i. e. justo judicio) usque *in sempiternum* : *in æternum non dissipanda, stat in æternum, comminuens et consumens omnia alia regna.* Deinde, crepidine ædificatur *omnium firmissima*, ipsa *inexpugnabili et inexpugnabilitatem omnimodam superædificato ædificio communicanti*; adeo ut *quicumque incursus hostiles nunquam adversus illud prævalebunt.* Ultimo, Christus dirigens, confortans, conservans, *perq)etuo in finem mundi, Ecclesiæ efficaci et infallibili auxilio* adest in exequendo præcepto *servandi omnia* quæcumque illi mandavit. Quæ omnia in his textibus significari postea invicte ostendemus.

15. Sed hæc omnia nullo modo de Ecclesia affirmari possunt, si, etiam ad tempus, maxime vero si ad tempus longum, aliquod ex suis attributis amitteret, vel notabiliter læsum servaret. Si supponatur, v. g., unitatem in fide, cultu et refiimine esse attributum Ecclesiæ ; et si

iW
†††††

r:l

'l 'ft

supponatur Ecclesiam in duas aut plures scindi partes, non amplius eandem fidem, cultum aut regimen inter se tenentes ; planum est de Ecclesia sic disrupta non amplius affirmari posse eam non dissipari, eam in aeternum stare, eam comminuere et consumere omnia alia regna, sed potius e contrario eam dilacerari, nutare, comminui et saltem aliquatenus consumi : Planum est inimicum praevaluisse et eam expugnasse : Planum est eam esse a Christo eatenus derelictam.

16. Homo corpore integro, ex beneficio divino, duos habet oculos, pedes et manus duas. Si duorum armis inter se contententium unus alterius manum aut pedem abscideret, aut oculum effoderet, nonne mutilans adversus mutilatum praevalere et illum vincere diceretur ? Deus Ecclesiam suam cum talibus et talibus attributis formavit, quibus illa in suo esse constituitur et integra efficitur. Si in certamine perpetuo illam inter et potestates tenebrarum, aliquo illorum orbaretur, nonne in tantum, pariter, potestates illæ adversus eam praevalerent ?

Prorater Propositio ex SS. Patribus.

17. (i.) “Ecclesia tempora sua habet, persecutionis videlicet et pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest ; quia aliquorum quidem in persecutionibus discessione minuitur, ut martyrum confessionibus impicatur, et effusi pro Christo sanguinis clarificata victoriis majus devotionis suæ et fidei toto orbe lumen effundat. Namque lima luminis imminutionem habet, non corporis, quando per vices menstruas deponere videtur lumen suum, ut mutuetur a sole : quod facile puro aero atque perspi-

cuo, quando nulla eam obducta nebula caligantem facit, colligi potest. Orbis enim lunæ integer manet, etsi non similiter totus, ut pars ejus effulgeat,” &c.—S. Ambrosius, Hexaameron, L. 4, n. 7 (tom. 1, pag. 43, 44).

(ii.) “Vel anima, quæ meretur templum Dei appellari, vel Ecclesia tunditur sæcularium curarum fluctibus, sed non subruitur : cæclitur, sed non labefactatur, commotiones fluctuum et insurrectiones passionum corporaliū facilis premere ac mitigare. Spectat aliorum naufragia ipsa immunis et exsors periculi, parata semper ut illucescat sibi Christus, atque ejus illuminatione jucunditatem acquirat sibi.”—*Idem*, de Abraham, L. 2, n. 11

(iii.) “Ipse est Petrus cui dixit : ‘Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.’ Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia : ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna. Et ideo addidit : ‘Et porta? inferi non prævalebunt ei : et tibi dabo claves regni coelorum.’ Beatus Petrus, cui non inferorum porta prævaluit, non coeli porta se clausit ; sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit coelestia. In terris itaque positus coelum aperuit, inferos clausit.”—*Idem*, in Psalm, xl. n. 30 (torn, ii., pag. 146).

(iv.) “Hæreditas ejus [Jesus] diffusa per populos, quo frequentius examinata, hoc amplius est probata. Grebræ enim persecutiones Ecclesiæ justorum nobis titulos, et martyrii victorias ediderunt. Itaque sicut aurum bonum ita Ecclesia cum uritur, detrimenta non sentit, sed magis fulgor ejus augetur ; donec Christus veniat in regnum suum, et reclinet caput suum in Ecclesiæ fide.”—*Idem*, in Psalm, cxviii., *Gimel*, n. 7 (torn. ii., pag. 230).

(v.) “Nihil Ecclesiæ par est. Ne mihi commemores

muros et arma : muri enim tempore deteruntur, Ecclesia vero numquam senescit. Muros barbari demoliuntur, Ecclesiam ne dæmones quidem vincunt. Quod hæc non sint jactantiæ verba, res ipsæ testantur. Quot Ecclesiam oppugnarunt, ipsique perierunt ? Ecclesia vero cælos transcendit. Talis est Ecclesiæ magnitudo : vincit impugnata ; insidiis appetita superat ; contumeliis affecta splendidior evadit ; vulnera excipit, nec ulceribus cadit ; agitata fluctibus non demergitur ; procellis impetita naufragium non patitur ; luctatur, nec proster nitur ; pugilatu certat, nec vincitur. Cur ergo bellum permisit? Ut illa splendidius tropæum erigeret. *Εκκλησια ονδεν ισον. Μι; μοι λεγε ~ειχη και οπλα' τεζχ>/μεν γαρ τω χροιηρ παλαιουνται, η Εκκλησια δε ουδέποτε 'Υηρα..... Πολεμουμενη νικα' επιβονλευομενη περιγινεται' υβριζομενη, λαμπρότερα καθίσταται' δεχεται τραύματα, και ου καταπίπτει υπο των έλκων' κλυδωνίζεται, αλλ' ου καταπονπιζεταιΓ χειμάζεται, αλλα ναναγιον ονχ υπομένει' παλαιει, αλλ' ουχ ήτταται' πυκτευει, αλλ' ον νικαται. Δια τι ουν συνεχωρησε τον πόλεμόν, ινα Ζειξη λαμπροτερον το τροπαιον.*"—S. Chrysostomus, *ITomil. de Capto Eutropio*, η. 1 (tom. 3, pag. 461, 462).

(vi.) "Ab Ecclesia ne abstinenceas : nihil enim fortius Ecclesia *ξουξεμ γαρ Εκκλησια? ισχυροτερον~λ. Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia. Cælo excelsior et terra latior est illa. Nunquam senescit, sed semper viget. [Ουεεποτε γι/ρα, αει δε ακμαζει.] Quamobrem ejus firmitatem stabilitatemque [το στερρον αυτη? και ασαλεντον], demonstrans Scriptura montem illam vocat," &c.—*Idem*, *ibid.*, n. 6 (pag. 4G7).*

(vii.) "Nihil Ecclesia potentius [ουδεμ Εκκλησια? δυνατωτερορ] o homo. Bellum solve, ne robur dissolvas

tuum ; ne inferas cælo bellum. Si homini bellum inferas, aut vices, aut superaberis : si Ecclesiam oppugnes, vincere nequis, omnibus quippe fortior est Deus [Εἰς τὴν Ἐκκλησίαν Σε εἰν ποΧεμη , νικησαι σε αμηχανον' ο θεός γαρ εστιν ο πάντων ισχυρότερο ']. 'An æmulemur Dominum? An fortiores illo sumus?' [1 Cor. x. 22]. Deus fixit et firmavit, quis concutere tentaverit? Non nosti virtutem ejus. 'Respicit terram et facit eam tremere' [Psalm, ciii. 32]. Jubet, et quæ concutiebantur firma consistunt. Si concussam urbem firmavit, quanto magis Ecclesiam firmare poterit? Ecclesia est ipso cælo fortior : 'Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt' [Matth. xxiv. 3a]. Quæ verba? 'Tu es Petrus, et super hanc meam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam' [Matth. xvi. 18]. Si non credis verbo, rebus crede. Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentaverunt? quot sartagine? quot fornaces, ferarum dentes, gladii acuti? Nihilque profecerunt. Ubinain sunt hostes illi? Silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia? Plus quam sol splendescit. Quæ illorum erant extincta sunt, quæ ad illam spectant sunt immortalia. [Που οι πολεμησαντε ; Σεσνγηνται και \ηθη παραδέχονται. Που δε η Εκκλησία ; "Υπερ τον ήλιον λάμπει. Τα εκείνων εσβεσται, τα ταυτη \ι0αι/ατα.] Si cum pauci erant Christiani, non victi sunt, quando orbis totus pia religione plenus est, quomodo illos vincere possis? 'Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.' Et jure quidem : amabilior enim est Ecclesia Deo, quam cælum ipsum. Cæli corpus non accepit, sed Ecclesia? carnem accepit ; propter Ecclesiam cælum, non propter cælum Ecclesia, x\e vos conturbent ea, quæ acciderunt. Hanc mihi gratiam

præbeatis, immobilem fidem. Annon vidistis Petrum ambulans super aquas, paululum dubitans, in periculum submersionis venisse, non ob aquarum impetum, sed ob fidei infirmitatem? Num humanis calculis huc accessimus? Num homo nos adduxit, ut homo dejiciat? Hæc non ex arrogantia aut jactantia dico, absit, sed ut quod in vobis fluctuat constabiliam. Quoniam sedata erat civitas, Ecclesiam diabolus concutere voluit. O scelestes et flagitiosissime! muros non expugnasti, et Ecclesiam te succussurum speras? An muris Ecclesia constat? In multitudine fidelium Ecclesia consistit. En quam^{*} firmæ columnæ, non ferro ligatæ, sed fide constrictæ. Non dico tantam multitudinem igne vehementiorem esse: sed nec, si unus tantum esset, superasses. Nosti quantas tibi plagas inflixerint martyres. Ingressa sæpe est puella tenera innupta: cera mollior erat, sed petra solidior extitit. Ejus latera lancinabas, et fidem non auferebas. Cessit carnis natura, neque concidit fidei virtus; consumebatur corpus, et viriliter agebat animus; absumebatur substantia, et manebat pietas. Ne unam quidem mulierem superasti, et tantum populum te superaturum confidis? Non audis Dominum dicentem: 'Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, illic sum in medio eorum' [Matth. xviii. 20]? Et ubi tam numerosus populus caritatis vinculis constrictus, non aderit? Ejus pignus habeo: num propriis sum viribus fretus? Scriptum ejus teneo. Hic mihi baculus: hæc mihi securitas: hic mihi portus tranquillus. Etsi conturbetur orbis totus, rescriptum teneo: ejus literas lego: hic mihi murus, hoc præsidium. Quas literas? 'Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi' [Matth. xxviii.]. Christus mecum, quem

timebo ? Etsi fluctus adversum me concitentur, etsi maria, etsi principum furor mihi hæc omnia aranea sunt viliora.”—*Idem*, Ilomilia ante Exilium, n. 1, 2 (torn, iii., pag. 495, 496).

(viii.) “Montem autem vocat [Isaias Propheta] Ecclesiam, et inexpugnabilia dogmata. Quemadmodum enim si quis adversus montes innumeros objiciat exercitus, arcus tendentes, hastas vibrantes, machinas admoventes, illos quidem nullo damno afficere poterunt, sed consumpta propria fortitudine recedent : sic et quicumque Ecclesiam impugnaverunt, hanc quidem non læserunt [*ταυτην μεν ουκ eaetaar*], sed sua amissa potentia pudore sunt affecti [*λ-ατ^σχυ^/σαι/*], dum ferirent soluti βιαλυομεροι], dum telis impeterent infirmati [*ασθει/οιψτε*], dum agerent a patientibus devicti [*m-w/ievoi*] : qui est sane inopinatus victoriae modus, quem non homines assequi, sed Deus solus potest. Nam certe in Ecclesia mirabile est, non quod vicerit, sed quod ita vicerit. Impulsa enim, vexata, innumeris concussa modis, non modo non minuebatur, sed major evadebat [*μειζων εγινετο*], et eos qui id facere tentabant patiendo tantum profligabat ; id quod adamas ferro impetitus facit dum percussus tantum solvit percudentis robur Ideo sane montem vocavit, &c.”—*Idem*, in Isai. ii. n. 2 (torn, vi., pag. 24), vide et infra, D. 5, n. 59 (xi.), ex eod. torn, vi., pag. 141.

(ix.) “Quæ uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam [*απεριτρεπτορ*] reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem [*ττετ^α τταστυ arepfayrepov*] reddere, hæc se illi daturum pollicetur [Matth. xvi.] : ut Pater Jeremiam alloquens dicebat, se posuisse illum sicut columnam æream et sicut murum ; sed illum uni

Mψ(*i

S.

ÜII

genti, hunc autem in universo terrarum orbe. Libenter quærerem ab iis qui imminutam Filii dignitatem volunt, quæ majora sint dona, an quæ Pater, an quæ Filius Petro dedit. Nam Pater revelationem Filii Petro dedit; Filius vero et Patris et suam revelationem per totum orbem disseminavit, ac mortali homini omnem in cælo potestatem dedit, dum claves illi tradidit, qui Ecclesiam per totum orbem terrarum extendit, et cælis firmiorem monstravit: nam ait, † Cælum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.”—*Idem*, Homil. 54, in Mattb. n. 2 (torn, vii., pag. 616, 617).

(x.) “Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis.”—*S. Augustinus*, Enarratio in Psalm. Ix. n. 6 (torn, iv., pag. 439).

(xi.) † Quid autem magnum est permanere cum sole ei per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, nisi quia hæc prophetia propter eos præmissa est, qui putant religionem nominis Christiani usque ad certum tempus in hoc saeculo victuram, et postea non futuram? † Permanebit ergo † cum sole, quamdiu sol oritur et occidit: hoc est, quamdiu tempora istavolvuntur, non deerit Ecclesia, id est, Christi corpus in terris.”—*Idem*, Enarratio in Psalm. Ixxi., n. 8, in verba, † Permanebit cum sole” (torn, iv., pag. 558).

(xii.) † Existunt qui dicant sed illa Ecclesia quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem, detestabilem, præsumptionis et falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illumina-

tam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipientem, perniciosam, prævidit Spiritus Dei, et tanquam contra illos, cum annunciaret unitatem : ‘ In conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino.’ Quoniam quidam dicturi erant contra, Fuit, et non est : ‘ Exiguitatem,’ inquit, ‘ dierum meorum annuntia mihi.’ Quid est, quod nescio qui recedentes a me, murmurant contra me ? Quid est, quod periti me periisse contendunt ? Certe enim hoc dicunt, quia fui, et non sum : ‘ Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum.’ Non a te quæro illos dies æternos : illi sine fine sunt, ubi ero ; non ipsos quæro : temporales quæro, temporales dies mihi annuntia : ‘ Exiguitatem dierum meorum,’ non aeternitatem dierum meorum, ‘ annuntia mihi,’ &c. &c.....Quid est quod dicis jam periisse Ecclesiam de omnibus gentibus, quando ad hoc prædicatur Evangelium, ut possit esse in omnibus gentibus ? Ergo usque in finem sæculi Ecclesia in omnibus gentibus ; et ipsa est exiguitas dierum, quia exiguum est omne quod finitur ; ut jam in aeternitatem, ab ista exiguitate transeat. Pereant haeretici, pereant quod sunt, et inveniantur ut sint quod non sunt. Exiguitas dierum usque in finem sæculi erit : exiguitas ideo, quia totum hoc tempus, non dico ab hodierno die usque in finem sæculi, sed ab Adam usque in finem sæculi, exigua gutta est comparata æternitati.”—*Idem*, Ennar. in Psalm, ci., Sermo 2, n. 8, 9 (torn. 4, pag. 829, 830).

(xiii.) “Firmavit Ecclesiam super firmamentum Ecclesiae. Quid est firmamentum Ecclesiae, nisi fundamentum Ecclesiae? Quod est fundamentum Ecclesiae, nisi . . . Christus Jesus ? Et ideo tali fundamento suffulta, quid meruit audire? ‘ Non inclinabitur in saeculum

sæculi.' . . . Nutabit Ecclesia si nutaverit fundamentum : sed unde nutabit Christus, qui antequam veniret ad nos, et carnem susciperet, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil ; qui omnia continet majestate, et nos bonitate ? Non nutante Christo, ' non inclinabitur in sæculum sæculi.' Ubi sunt qui dicunt periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest."—*Idem*, Enarrat, in Psalm, ciii., Sermo 2, n. 5 (torn, iv., pag. 859).

(xiv.) " Sequitur, post Trinitatis commendationem [in Symb.] ' Sanctam Ecclesiam.' . . . Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia ima, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans : pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa : ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua. Portæ inferorum non vincent eam."—*Idem*, de Symbolo, Sermo ad Catechumenos, n. 14 (torn, vi., pag. 404). *A ota*: Hic sermo opus est genuinum Augustini : tres alii de eodem argumento, qui hunc sequuntur, ab Editor. Benedict, ut saltem dubiæ auctoritatis haberi videntur.

Hisce textibus, et ex iisdem Patribus et ex aliis multis, loca alia prope innumera adjici possent, in quibus æque clare, tanquam certa et manifesta fides Ecclesiæ, affirmatur omnimoda et absoluta ejusdem indefectibilitas.

Sectio Tertia.—SOLVUNTUR OBJECTIONES QUÆDAM.

18. *Object.* I. Etsi Ecclesia a diabolo læderetur, etiam usque ad amissionem unius aut alterius attributi, attamen ipsa multo magis læderet. Atqui, in ista hypothesis, dici non posset victa.

19. *Resp.* Dist. minor : In ista hypothesis dici non posset victa, in sensu divinarum promissionum, et illis

attentis : Nego : Illis promissionibus sepositis : Trans-
eat. In ista hypothesis, sciz., amissionis unius ex ejus
attributis divinis, sive vocares Ecclesiam victam, sive
non victam sed tantum læsam, parum refert. Tales
sunt promissiones divinae quod nec lædi potest, eo sensu,
nec vinci. Si Ecclesia in aliquo suo attributo deficeret,
istae promissiones deficerent. Addi potest Ecclesiam non
præliari cum diabolo ut parem cum pari, sed ut Domina-
tricem Regiam cum proscripto maledicto, a quo si aliqua
parte suae majestatis regalis privetur, vere vincitur.

20. *Object. II.* Non magis certae, claræ et absolutæ
sunt promissiones factæ Ecclesiæ Christianæ, quam factæ
fuerant Ecclesiæ Judaicæ. Atqui Ecclesia Judaica non
fuit indefectibilis. Ita innumeri Protestantici auctores,
tam novi quam veteres.

21. *Resp. Primo.* Nego major., ad cujus solutionem
perfectam absolutamque tria sequentia notanda. I.
Quantumvis clari sint textus in quibus prædicatur sive
promittitur indefectibilitas Ecclesiæ Judaicæ absoluta,
interpretandi sunt et limitandi per alios textus in quibus
non minus clare affirmatur eam esse aliquando (sensu
exponendo, n. 22), defecturam. Hujusmodi autem textus
plures sunt. Nonne apud omnes qui Christiani vocantur
convenit Legem et Ecclesiam Vet. Testamenti, ex ordi-
natione divina clarissime in S. Scripturis manifestata,
umbram et præparationem fuisse Legis et Ecclesiæ Novi
Testamenti, et, ut tales, adveniente Messia, abrogandas ?
Moyses ipse sic Judæos monuit :—“Prophetam de gente
tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus
Deus tuus : ipsum audies Deuteron, xviii. 15. Quem
locum non obscure indicat S. Philippus Apostolus :—
Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus

?

r

i6

Jesum filium Joseph a Nazareth Joann, i. 45 : et dicitur S. Petrus :—“ Moyses quidem dixit : quoniam prophetam suscitant vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis juxta omnia quaecumque locutus fuerit vobis Act. iii. 22. Clarissima sunt verba Jerem. xxxi. 31, de pacto secundo, quod de Nova Lege Veteri superveniente expresse interpretatur S. Paulus, Hebr. viii. 8, et x. 16. Alii sunt textus multi idem affirmantes. Quaecumque ergo fuerit firmitas Ecclesiae Judaicae promissa, non in perpetuum sed ad tempus promissa est. Contra, indefectibilitas perpetua perspicue et significanter Ecclesiae Christi promissa est, et nullibi haec promissio ne minimum limitatur, aut quovis modo temperatur.

22. IL Non dabitur nova revelatio superaddita revelationi Christianae, eamque implens, explicans, augens, prout revelatio Christiana implevit, explicavit, auxit revelationem Mosaicam. Non formabitur nova Ecclesia Dei, cui Ecclesia praesens est praeparatoria, “ umbram habens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum” (Hebr. x. 1), qualis fuit Ecclesia Judaica relative ad Ecclesiam Christi. Si ergo deficeret Ecclesia Christi, non eo modo deficeret quo deficit imperfectum mutatum in perfectum, quo deficit pueritia aucta in virilitate quo deficit diluculum clarescens in lucem : sed penitus deficeret, sicut dies deficit in nocte, sicut vita in morte. E contrario, Ecclesia Judaica non erat desitura per simplicem interitum, sed per transmutationem in statum diversum sed meliorem. Ecclesia Judaica et Ecclesia Christi sunt ambae una Ecclesia Dei, sed in posteriori

* Imo Ecclesia Vet. Legis vocari potuit Ecclesia Christi, et membra

statu amplificata, ditata, absoluta et perfecta. **E**tiam dicit S. Augustinus, “Ecclesiam accipite non in bis solis qui post Domini adventum et nativitatem esse coeperunt sancti ; sed quotquot fuerunt sancti ad ipsam Ecclesiam pertinent Serm. de Jacob et Esau ; et alibi similiter. Hinc dicit Dominus noster, “Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere sed adimplere Matth. v. 17. In quem locum bene scribit **Malbonatus** :—“Cum in lege et prophetis quatuor essent partes, promissa et vaticinia ; præcepta decalogi ; cæremonialia ; judicialia : Christus omnia complevit ; promissa et vaticinia, exhibendo quæ promissa quæque prædicta erant ; præcepta decalogi moralia melius interpretando ; cæremonialia, quæ per cæremonias significabantur exhibendo, ut pro circumcisione carnis baptismum et circumcisionem cordis ; judicialia, quia præmia et supplicia corporea et temporalia in spiritualia et æterna commutavit. Quo ergo modo legem abrogavit? Non solvendo sed implendo, non violando sed perficiendo, sicut pictor, ut Theophylactus ait, inchoatæ et extremis tantum lineamentis adumbratæ imagini, dum extremam apponit manum, et colores adhibet, priorem imaginem abolet, novam inducit. Abolet autem non dissolvendo sed absolvendo, non delendo sed perficiendo.”

23. Neque his *objiciatur*. Ecclesiam Vet. Testamenti fuisse genti Judaicæ contentam. Translata est autem Ecclesia Dei ab illis ad gentes. Non est ergo eadem Ecclesia continuata.

ejus Christiani : **Touknelly**, tom. i., p. 40. Sed hic modus loquendi non est in usu : et merito, ne multiplicem pravum sensum exinde pravi exprimant aut indocti.

24. Omisso omnes primos fideles fuisse Judæos (paucis exceptis) ; initio praedicationis Apostolorum multos Judæos conversos fuisse (Act. ii., &c.) ; imo omnes Apostolos, ipsa fundamenta Ecclesia), fuisse Judæos, et Evangelium Judaeis primum praedicatum fuisse—ex illis, sua culpa non credentibus relictis et rejectis. His omissis, *JResp.* non per carnalem, sed spiritualem propagationem continuari et perstare Ecclesiam : “ Ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ Matth. iii. 9 ; “ Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelite) Non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine Rom. ix. 6. 8.

25. III. Ex dictis, n. 22, concludimus non omnes promissiones Ecclesiae Judaicae factas, ei *ut tali* factas esse, et in ea, ut tali, implendas. Quaedam ei propriae sunt, ut v. g. promissio temporalis felicitatis, prout populus servaret legem necne. Quaedam ei facta sunt, non in ea implendae, nisi postquam ad statum perfectionis perveniret ; i. e. in Ecclesia Christi implendae. Tales sunt promissiones catholicitatis et aggregationis gentium in eam, &c. &c. Ut enim dicit S. Augustinus, de Civitate Dei, L. 17, C. 6, n. 1 (torn, vii., pag. 354) :—“Quandoei [sacerdotio Aaronico] aeternitas promissa est, non ipsi timbra) ac figuræ, sed ei quod per ipsam adumbrabatur figurabaturque, promissum est.” Hujusmodi exempla ex Psalmis et Prophetis plurima in Disputationibus sequentibus -videbimus, ut Isai. liv. Ix., &c. &c. Sic multa de David et regno ejus praedicta, in antitypis Christo et Ecclesia ejus implentur:—“Hic [Jesus] erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus

sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum Luc. i. 32. Vid. Stapleton, Relect. C. 1, Q. 3, A. 2, *Expos. Artic.* ; Alapide, Proem, in *Prophet. Canones*, Can. 5, &c.

26. *Resp. Secundo* (ad n. 19). Nego minor. Nunquam defecit Ecclesia Judaica, usque ad adventum Messiae, quo tempore, sensu jam exposito, desitura erat. Etsi enim aliquando, maxime ante captivitatem Babylonicam, tota fere gens visa est in idololatriam dilapsa esse, attamen nullum fuit tempus in quo non fuerint veri Israelitæ, qui fidem et cultum rectum firme et constanter tenuerunt. Vide, sis, textus Vct. Testamenti, unde adversarii contrarium probare conantur, breviter enodatos apud Pichler, C. 1, A. 2, n. 8 ; Gazzaniga, D. 3, C. 3, n. 62.

27. Si contra jam dicta (n. 25) *objiciatur*, quod Ecclesia Christi certo deficeret, si numerus fidelium ad paucos in angulo terne contraheretur. Ergo, a pari, jure dicitur Ecclesiam Judaicam defecisse iis temporibus, in quibus tantum praevaluit idololatria.

28. *JResp.* Concedo antecedens : Nego consequentiam. Catholicitas enim loci est unum ex attributis Ecclesiae Christi, quo amisso, deficeret (n. 6). Non erat autem attributum Ecclesiae Judaicae ; uti evidens est ex ipsius institutione, constitutione et tota forma ; et ut ab omnibus conceditur.

29. *Object. III.* Ex locis S. Scripturae in quibus defectio Ecclesiae futura affirmatur. Horum unum aut alterum hic proferemus, in quibus prædici videretur totalis a fide defectio :—“Et multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos..... Surgent enim pseudo-christi et pseudoprophetae : et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest), etiam

electi:" Maith, xxiv. 11, 24 ; "Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra Lue. xviii. 8 ; "Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. 2 Thessal. ii. 3. Ex his patet quod tanta aliquando erit discessio (αποστασία), ut fides omnino aut fere omnino dispereat.

30. *Pesp. Primo.* Illorum textuum, in multis (ut ex levissimo commentariorum sive Catholicorum sive Protestantorum conspectu patebit), adeo difficilis et incerta est interpretatio, ut contra propositionem tam claris et solidis argumentis firmatam, nihil ex iis erui potest.

31. *Pesp. Secundo.* L Quoad textum ex S. Matth. In sermone hoc duo propheticè describit Christus, sciz., eversionem urbis Jerusalem, et dissolutionem mundi finalem. Quatenus prophetia intelligatur de eventu priori, nulla est objectio : nemo enim dicit Ecclesiam *Christi* (quicquid dicatur de Ecclesia Judaica), desiisse eversione urbis et templi Jerusalem. Quatenus intelligatur de eventu posteriori, mala quidem et tentationes gravissimas, necnon et apostasiam magnam, et omnibus antecedentibus majorem, significat, nullomodo autem universalem et totalem. Imo apostasiam non esse futuram totalem aperte affirmat, dicendo aliquos non esse seducendos, sciz., electos.

32. II. Quoad textum ex S. Luca. Et hic quoque, juxta quosdam, de duplici adventu Christi, sciz., ad eversionem Jerusalem et ad destruendum mundum, intelligi potest. Quatenus de priori intelligatur, vocabulum *terra* significat non orbem terrarum, sed terram Judeæ ; qui usus in Scriptura frequens est, ut omnes norunt. Quatenus de posteriori intelligatur, vel Christus loquitur de

defectu fidei formatai et vivæ (D. 1, n. 13, 14), ut quidam putant, vel de defectu fidei cujusvis. De quocumque defectu loquatur, magnum illum fure plane insinuat: quod vero futurus sit totalis, nec affirmat nec insinuat.

33. III. Quoad textum ex 2 Thessal. discessionem ibi prædictam de defectione a Romano Imperio intelligunt Ambrosius, Sedulius et Primasius, ut testatur Bellarminus, qui hanc sententiam “valde probabilem” vocat. Ut puto, longe communior, imo, saltem inter recentiores, communissima, et mihi multo probabilior est sententia quæ hunc locum de defectione ab Ecclesia tempore Antichristi interpretatur. Posita hac interpretatione, ad objectionem respondeo: Concedo, sub fine mundi, futuram esse apostasiam magnam, insignem, tremendam, qualis non fuit ab initio. Sed nullomodo sequitur ex textu illam esse futuram totalem: e contrario, ut jam vidimus ex Matthæo, quidam stabunt firmi: vid. D. 5, n. 162.

34. Si contra hæc *urgetur*:—Saltem, ex dictis, ita, sub persecutione Antichristi, coarctabitur et minuetur Ecclesia, quoad catholicitatem loci et multitudinis membrorum, quod hoc certe attributo orbata erit; et ideo, secundum dicta n. 6, deficient.

35. Seposita quæstione (de qua suo loco) an catholicitas loci et multitudinis membrorum *simultanea* sit attributum Ecclesiæ essenziale, seu potius an hoc sit definitum; et posito talem catholicitatem esse attributum Ecclesiæ, et præfatos textus (n. 29) esse interpretandos ad sensum objectionis (n. 34); *Resp.* I. Hoc solum sequitur, Deum, qui promisit Ecclesiam in nullo ex suis attributis, usque ad finem mundi, defecturam esse, eundem hanc apposuisse exceptionem, sciz., eam in hoc uno attributo catholicitatis esse partialiter, tempore quodam determinato

't

,

' &

.t

j 14

r>

[•]

H i

4L

et praesignato, defecturam. Nullomodo autem sequitur eam esse in hoc attributo, ante illud tempus, aut in aliis attributis, ullo tempore, defecturam. Exceptio admittitur quæ explicite apponitur: sed non ideo debemus admittere exceptionem, quæ nec explicite nec implicite apponitur.

£. 36. II. Etsi admitteremus (quod tamen, ex dicendis n. 38, nullomodo admittimus), Ecclesiam esse tempore Antichristi, aut cito post, penitus desituram, nihil inde nostræ propositioni repugnans sequeretur. Cum enim dicimus Ecclesiam esse indefectibilem usque ad finem mundi, necesse non est ut finis ille intelligatur rigorose seu, ut ita dicam, physice, pro ipso instanti aut die aut mense aut etiam anno, sed moraliter et cum aliqua latitudine. Forsan ab aliquo concipi potest congruitas quædam in eo quod Ecclesia ad paucos, et hos vere fideles et sanctos, sub fine mundi, redigeretur. Sicut enim in sua infantia, a die Pentecostes usque dum per gentes aliquantum propagata fuit, omnia sua attributa plena et perfecta habuit, Unitatis, Sanctitatis, Infallibilitatis, &c., nisi quod adhuc haud ita multos, sed hos eminenter fideles et sanctos, in sinu suo comprehendebat; ita in extrema sua senectute, et cursu consummato, jam jam extinguenda, ad suum statum primævum rediret.

37. III. Posito quod textus objecti interpretandi sunt de deminutione Ecclesiæ (de totali enim ejus defectione eos non posse intelligi jam vidimus); quoniam tempus hujus deminutionis definitum est, sciz., sub persecutione Antichrist!; et quoniam ad tempus hoc luctuosum, cum venerit, dignoscendum iis qui tunc vivent tot tantaque dabuntur signa Matth. xxiv.; Luc. xxi.; et quoniam nullibi in verbo Dei ne minimum existit indicium deminutionis ante illud tempus eventuræ, sed in contrarium

Sect. HL] DE INDEFECTIBILITATE ECCLESIAE.

multa: ergo ante illam deminutionem in fine mundi, alia non erit. Seu, aliis verbis, ex ipsis illis textibus unde obiectio contra nostram propositionem derivatur, argumentum derivatur quo hæc propositio confirmatur. Hæc est enim regula, usu loquelæ claro et universali firmata :— Quotiescumque futurum aliquod, præsertim si singulare sit et maximi momenti, affirmatur esse tali aut tali tempore determinato (etsi adhuc ignoto, quale est tempus Antichrist! aut finis mundi), eventurum ; tunc, nisi aliquod in contrarium affirmetur, per hoc significatur illum eventum non esse ante hoc tempus determinatum eventurum. Sic cum (Dan. ix. 24), prædicatur Messiam esse post 70 hebdomadas (sciz. annorum) venturum, per hoc significatur illum non esse antea venturum. Cum (ibid, 27), prædicatur hostiam et sacrificium esse in medio ultimæ hebdomadis defectura, per hoc significatur ea non esse antea desitura. Cum (Act. i. 11) Apostolis, post Ascensionem Domini, dixerunt Angeli :—“ Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet [sciz. ad ultimum Judicium] quemadmodum vidistis eum euntem in cælum,” per hoc significatur cum sic non esse antea venturum. Alia hujusmodi exempla innumera proferri possent: in quibus omnibus duo affirmantur, unum explicite, alterum implicite, sciz., 1^o, factum prædictum tempore prædicto eventurum esse, 2^o, et non esse antea eventurum.

38. Hactenus polemicc et ad solvendam objectionem. De quæstione, quatenus vel dogmatica vel scholastica est, etsi ad nos forsan non pertineat eam hic sub tali respectu examinare, pauca breviter dicemus. *Primo*. Pro certo habemus Ecclesiam, nec etiam sub persecutione Antichristi, esse non solum non penitus desituram, sed semper, omnibus diebus usque ad finalem extinctionem gene-

ris humani, cum multis vere fidelibus et sanctis membris esse perduraturam ; ita ut semper suam visibilitatem essentialem illæsam retineat, sensu exponendo in verbis Billuarti jam afferendis. Ita, ut puto, omnes Theologi, et sequitur ex dictis n. 14, &c., et ex dictis in solutione jam allatæ objectionis. *Secundo.* An vero major pars fidelium tunc sit defectura ? Responsio affirmativa videretur congrua Scripturæ. Multi Auctores non satis clare mentem suam aperiunt. Aliquos ex iis qui clarius loquuntur afferemus. “ Dicendum est per hanc persecutionem majorem fortasse fidelium partem a Christo defecturam : nihilominus tamen militantem Ecclesiam non esse vi persecutionis extinguendam. Prior pars colligitur primo ex ipsa persecutionis acerbitate, et ex modo, quo in Scriptura describitur. Unde Dan. vii. dicitur, ‘ Ecce cornu illud faciebat bellum adversus Sanctos, et prævaluit eis et Apoc. xiii., ‘ Et est datum illi bellum facere cum Sanctis, et vincere eos : ’ et Christus ad exaggerandam multitudinem eorum, qui a fide deficient, dixit, ‘ Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, ’ et Luc. xviii., ‘ Cum venerit Filius Hominis, putasne inveniet fidem in terra ? . . . Lactantius dicit de cultoribus Dei duas partes interituras : sed de hoc nihil certi affirmari potest. Posterior pars de fide certa est, ut notavit August. 20, de Civit. C. 11. Quia non potest Christus Ecclesiam suam ita deserere, ut omnino vincatur. Nam ‘ portæ inferi non prævalebunt adversus eam et ideo idem Christus dicit, Matth. xxiv., ‘ Propter electos breviantur dies illi. ’ Erunt ergo multi electi qui non vincantur, et in quibus Ecclesia manebit. Et ideo in Apocal. semper ponitur illa limitatio, ‘ Adoraverunt bestiam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt nomina in-

scripta in libro vitæ.' . . . Atque in hunc modum sunt pie intelligendi Catholici scriptores, si quando dicunt eo tempore defecturam Udem in universo orbe, aut quid simile Suarez, de Mysteriis Vitæ Christi, D. 54, S. 6. “Hoc describit Joannes Apoc. xiii., qui dicit, omnes, non solum infideles, sed etiam fideles majore ex parte confluxuros ad adorandam imaginem bestię.....Non omnes tamen fideles Antichristum, seu imaginem ejus adorabunt, nam electos ab hac impietate Dei gratia præservandos, dicit Joannes ibi, vers. 8. . . . Ecclesia autem illa electorum, ut præservetur ab errore, in locis abditis eo tempore colligetur, ideoque nulla tunc futura erunt publica Christianorum templa, nulla sacrificia, nullæ res sacræ : sed in locis secretis semper Deum verum colet, sacrosanctum Missæ sacrificium, et alia peraget veræ fidei exercitia, in quo maxime apparebit providentia Dei circa suæ Ecclesiæ conservationem Gotti, tom. iii.] Tract. 15, Q. 1, D. 5, § 3, n. 17. “Apostasia, quæ prædicitur tempore Antichristi, multorum erit, non omnium. Nam Christus ipse promisit, futuros etiam aliquos eo tempore in fide constantes, Matth. xxiv. 22 Gazzaniga, D. 3, C. 3, n. 73. “Juge sacrificium Novæ Legis, agente Antichristo, auferetur quantum in ipso erit, ita ut nullus publice audebit missam celebrare ; at obtinere non poterit ut omnino auferatur, permanebit enim, juxta Apostolum, 1 Cor. xi., donec veniat ChristusDistinguenda est duplex Ecclesiæ conspicuitas : una essentialis quæ consistit in veræ fidei et religionis professione, in usu sacramentorum et observantia præceptorum Christi ; altera accidentalis, quæ consistit in externo apparatu et splendore, cujusmodi sunt habere templa magnifica, sine metu ad sonum campanarum ec-

clesias frequentare et officia publica celebrare, abundare ministris, libere praedicare verbum Dei, &c» De hac posteriori perspicuitate, non de prima loquitur S. Augustinus [dicens quod tempore Antichrist! 'Ecclesia non apparebit'] et alii Patres, si forte sint qui eundem modum loquendi teneant Billuart, D. 1, A. 5.

DISPUTATIO QUINTA.

DE VISIBILITATE ECCLESIAE.

Sectio Prima : Status Quæstionis explicatur.

Sectio Secunda : Probatur Doctrina Catholica.

Sectio Tertia : Solvuntur Objectiones.

§ 1. Objectiones contra Argumenta.

§ 2. Objectiones contra Propositionem.

Sectio Quarta : Notulæ de duobus effatis Protestantium.

DISPUTATIO QUINTA.

DE VISIBILITATE ECCLESIAE.

Sectio Prima.—STATUS QUÆSTIONIS EXPLICATUR.

1. Ip̄TSI communem quam vulgo afferunt Theologi nostri (Bellarminus, Tournelly, &c. &c.) narrationem ortûs doctrinæ de invisibili Ecclesia, indignabundus rejiciat Chillingworth (C. 5, n. 13), eam tamen sponte suam facit Palmer, qui sic scribit :—
“Doctrinam visibilis Ecclesiæ plerumque docuisse videntur Reformati, usque dum, ob controversiam cum Romanistis [Catholicis] ‘Ubinam ante Lutherum fuerit eorum Ecclesia’ quærentibus, necessarium esse duxerunt contendere Ecclesiam *aliquando* fieri posse invisibilem.”*
Quicquid sit de origine illius erroris, certum est multos Protestantibus doctos eum olim tenuisse et hodie tenere.

* “In fact, the Reformed seem generally to have taught the doctrine of the visibility of the church, until some of them deemed it necessary, in consequence of their controversy with the Romanists [Catholics], who asked them where their Church existed before Luther, to maintain that the Church might *sometimes* [sic] be invisible:” P. 1, C. 3 (vol. i., p. 26). Idem ingenue fatetur Jurteu, apud Bossuet, Variat. L. 15, n. 17.

Nec admittendum est quod aliquatenus contemptim scribit idem Palmer de “auctoritate quorundam recentium theologorum,” sciz. Protestantorum, idem placitum defendentium (*ibid.* p. 34) : non enim pauci sunt, neque omnes recentes, neque ab illo certe despiciendi, prout infra videbitur.

2. Visibilitas duplex est, *Materialis* et *Formalis*; quæ vocabula duas sibi propinquas significationes habere possunt. I. Dicitur aliquid esse materialiter visibile, cum in eo tantum attenditur id quod *in se* visibile est. Hoc sensu homo, corpore solo aspectu, materialiter visibilis est. Dicitur aliquid esse formaliter visibile, cum in eo attenduntur ea quæ in se invisibilia aut saltem occulta sunt, prout signis externis se produnt; seu, aliis verbis, cum attenduntur signa externa prout quæ invisibilia sunt manifestant. Sic, homo formaliter visibilis est, seu visibilis ut homo, cum videtur ut animal rationale; anima enim rationalis sese manifestat per loquelam, &c. II. Societas aliqua hominum est materialiter visibilis, cum consideratur tantum ut cæterus hominum, quin attendatur quod sint tali aut talibus vinculo communi in talem aut talem societatem coadunati. Si vero sit mihi visibilis, non tantum ut societas hominum, sed ut talis aut talis societas v. g. militum, mercatorum, clericorum, Catholicorum, Protestantium, &c., tunc mihi formaliter visibi-

Satis patet quæstionem non esse de visibilitate Ecclesiæ materiali, sed tantum formali, seu *ut Ecclesiæ*.

3. Quæcunque societas distincta aliquid necessario habet per quod fit distincta: et ut sit visibilis (ex hoc semper intelligo visibilitatem *formalem*) eas debet manifestare proprietates aut signa quibus discernatur ut talis

individua societas et non alia. Sic, si adsint, sive in eodem loco intermixti sive in vicinis locis separati, coetus militum et coetus medicorum et coetus jurisperitorum, &c., et si nulla sint signa externa, quorum unusquisque conventus sua propria habeat, quibus a seinvicem discernantur, sunt singuli coetus pariter invisibiles. Item, si conventus sint in eodem genere, v. g. militum Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, &c. Si vero, ut in exemplo exercituum variarum nationum simul convenientium, unus exercitus, v. g. Angliæ, ea signa exhibeat, quibus internoscatur non tantum ut conventus militum sed etiam militum Anglicorum, tunc visibilis est non tantum ut exercitus sed ut exercitus militum Anglicorum. Ceteri vero exercitus nullum exhibentes signum quod sint milites, vel quod sint milites hujus vel illius nationis, non sunt visibiles ut milites, aut ut milites hujus vel illius nationis. Item in exemplo Ecclesiarum, si una Ecclesia ea exhibeat signa quibus discernatur non tantum ut aliqua Ecclesia Christiana [Anglice “*a Christian Church*”], sed ut individua et singularis Ecclesia ab omni alia absolute distincta ; tunc est visibilis non tantum ut Ecclesia aliqua Christiana, sed ut Ecclesia hæc individua et distincta v. g. Romano-Catholica. Si vero alia quædam Ecclesia sese exhibeat tanquam Ecclesiam Christianam, sed dijudicari nequit an sit Lutherana, Calvinistica, &c., tunc non est visibilis ut Ecclesia aliqua individua distincta. Insuper, si existant aliqua signa (taliam autem existere postea ostendetur), quæ probant ecclesiam cui

* Hic, sicut et alibi aliquando, vocabulo *Christiana* lata significatione itimur, secundum usum adversariorum loquentes, ut præmature non seponantur quæ adhuc probanda sunt.

insunt esse non tantum ecclesiam aliquam Christianam, sed ipsam unicam et unice veram Ecclesiam Christi ; tunc talis ecclesia est visibilis non tantum ut ecclesia aliqua Christiana, sed ut una vera Ecclesia Christi ; et omnes aliæ ecclesiæ eo ipso falsæ esse demonstrantur.

4. Sicut homo mentis et corporis sani, *ut talis* visibilis fit per signa quæ vires utriusque integras esse ostendunt ; sicut exercitus fortis et bona disciplina institutus, *ut talis* visibilis fit per varias illarum qualitatum manifestationes, variis modis et juxta temporum rationem factas ; ita et Ecclesia fit visibilis *ut Ecclesia*, sese ut Ecclesiam manifestans. Jam dictum est, D. 2, n. 37, in Ecclesiam a Deo infusa esse, et in ea permanenter residere plurima charismata spiritualia. Hæc sese variis modis perpetuo exterius manifestant, in cultu divino, in prædicatione verbi, in administratione sacramentorum, in ordinatione, operatione, perpetuitate Hierarchiæ, &c. Alia sunt dona externa de quibus (ne subtilius modum operandi divinum scrutemur), forsitan dicere possumus quod partim ex præfatis donis internis fluant et pendeant, partim ex providentia Dei speciali et extrinseca ; qualia sunt attributa Ecclesiæ, Unitas, Sanctitas, &c. Quicquid sit de isto modo rei, hæc tria habemus, sciz., charismata interna, externas operationes Ecclesiæ in prædicando, gubernando, &c., illa demum attributa quibus in his omnibus, sensu in sequentibus Disputationibus exponendo, conservatur usque ad finem mundi, Una, Sancta, Catholica, et Apostolica. Per hæc tria Ecclesia est Ecclesia Christi, in suo esse totali, vivo, permanenti, inexpugnabili constituta.

5. Quoad charismata spiritualia prædicta *in se* spectata Ecclesiam esse invisibilem, seu, ut rectius forsitan lo-

quamur, illa charismata esse in se invisibilia, apud omnes convenit, et per se patet. In ceteris autem affirmamus Ecclesiam esse essentialiter, perpetuo, eminenter visibilem. Sed de hac visibilitate plura adhuc notanda sunt.

6. Non dicimus Ecclesiam esse in omnibus et singulis operationibus suis et attributis eodem modo et eodem gradu visibilem. Quod sit in omnibus illis vere et perpetuo visibilis pro certissimo habemus. Attamen opus non est ut statuamus, nec forsan statui potest, quis sit singulorum splendor relativus et essentialis, quo minor esse non potest. Sufficiat nobis, quod et abunde sufficit, Ecclesiam adeo se semper in suis attributis exhibere, ut sit semper egregie visibilis. Etsi enim aliquando speciali candore et singulari quadam quasi physica claritate præmineat v. g. unitas fidei aut regiminis, orta nova hæresi aut novo schismate ; aut vis Ecclesiae difflusiva et fecunditas in conversione gentium—ut in accessione plurium nationum septentrionalium circa tempus Græci schismatis consummati, aut Indorum, &c., circa tempus schismatis Protestantici ; semper tamen Ecclesia est eximie una, sancta, &c.

7. Propositio nostra Ecclesiae visibilitatem affirmans est omnino generalis, qualis fuit Propositio de indfectibilitate, D; 4, n. 8. Non supponitur Ecclesiam habere tale aut tale attributum, v. g. unitatis ; sed tantum dicitur, quaecumque sint ejus attributa (*ibid.* n. 6), illorum manifestatione perpetua, ipsam perpetuo visibilem esse. Sic, ex mundo materiali ostendi potest existentia Supremi Numinis in illo mundo se clarissime manifestantis, quin prius supponatur aut inquiratur quæ sint ejus attributa in specie : — “ Cæli enarrant gloriam Dei

Psal. xviii. 1 ; “ Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur Rom. i. 20. Quod etiam dictum est eodem D. 4, n. 8, de indefectibilitate, eam posse vocari proprietatem proprietum, et de visibilitate pariter dici potest.

8. Triplici sub aspectu visibilitas Ecclesiæ contemplari potest ; quatenus ea per quæ visibilis fit considerantur ut factum pure humanum seu naturale, vel ut factum divinum, vel ut factum simpliciter. I. Si quis admitteret unitatem et firmitatem mirabilem Ecclesiæ Catholicæ, ea tamen non divino concursui et præsidio, sed causis naturalibus, sapientiæ et consilio mundano referens (prout facit Macaulay in commentario “de Vicissitudinibus Papatus”), talis hanc visibilitatem tanquam factum mere humanum haberet, et prædicta attributa nihilo altioris aut divinius ordinis quam v. g. unitatem atque firmitatem Imperii Britannici. II. Illi vero qui hæc non causis mere humanis, sed digito Dei providentis et dirigentis ascriberet, factum est plane divinum. Dixi “causis *mere* humanis etsi enim Deus aliquando effectus in sua Ecclesia producat, nulla præeunte industria aut dispositione humana, et etiam contra spem et propositum humanum ; attamen, in ordinaria et quotidiana sua providentia, utitur mediis naturalibus, studio humano, &c. &c., quæ per se fini assequendo tamen imparia, adjutorio divino efficacia evadunt. Quod enim dicitur de Gratia, et de Providentia qua dirigitur Ecclesia suo modo dici potest, sciz., eam non destruere naturam, sed supponere et elevare. III. Visibilitas Ecclesiæ spectatur ut factum simpliciter, cum manifestatio attributorum ejus consideratur ut merum factum, et abstrahendo ab eo quod sint vel divina vel humana.

9. Nos visibilitatem Ecclesiae tanquam factum divinum hic intelligimus, et dicimus Ecclesiam se, in attributorum suorum externa 'manifestatione et in operationibus suis *ut veram Ecclesiam* exhibere et declarare. Ideoque affirmamus veram Ecclesiam Christi esse non tantum visibilem, sed etiam visibilem *quatenus veram* : Suarez, Defensio, L. 1, C. 8, n. 9, et 13, in fine. Fate-
mur multos imo plerosque Theologos, in tractanda generali quæstione de visibilitate Ecclesiae, non ita distincte et diserte loqui, et impræsentiarum se limitare ad considerationem Ecclesiae ut visibilis tanquam Ecclesiae Christianae lato sensu (n. 3, not), seponendo visibilitatem ejus tanquam unice veræ. Et forsitan contra quosdam adversarios, et in quibusdam stationibus controversiae, non expediret ulterius progredi : sed vid. infra, n. 166.

10. Dicimus insuper Ecclesiam esse non tantum visibilem, sed et splendide et eminenter visibilem. Equidem, quoniam non tam oculis corporis quam mentis sinceræ, humilis, veritatem Dei in quibusvis adjunctis amplecti paratæ, sese hoc modo visibilem proponat Ecclesia ; si quis cor suum induret, passionibus indulgendis se tradat, et præjudiciorum quasi muro se circumdet, huic sane haud ita hæc visibilitas apparebit. Hoc autem non ex defectu visibilitatis, sed culpa individui. Qui obturat aures non audit musicam ; qui velat oculos non videt solem etiam cælo sereno meridianum. Attributa Dei, "sempiterna ejus virtus et divinitas," clarissime manifestantur in mundo hoc visibili : nec certe Ecclesiae postulamus visibilitatem expressiorem aut splendidiorum. Attamen gentes "cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt..... Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corrupti-

bilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium Rom. i. 20, &c.

11. Dicimus præterea hanc visibilitatem non tantum absolutam esse, sed et relativam. Ideoque attributa divina Ecclesiæ veræ ita in ea prælucent, ut ab eorundem umbris et simulacris in aliqua secta falsa plane distingui possunt. Etsi verum est in quovis attributo seorsum ab aliis spectato Ecclesiam hac relativa visibilitate gaudere; attamen non adhuc nostram doctrinam de visibilitate Ecclesiæ eo sensu defendendam proponimus. Ecclesiam impræsentiarum ut quid unum et totum, in concreto, prout constituta est, contemplamur; et dicimus quamvis sectam eodem modo sumptam, et cum ea comparatam, statim suam infirmitatem et nuditatem fore proditura omni vera gloria veræ Ecclesiæ orbam:—“ Quia dicis, Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus:” Apocal. iii. 17.

12. Hanc denique visibilitatem permanentem esse et perpetuam affirmamus; ita ut Ecclesia Christi nullo temporis spatio cessare potest esse visibilis, sensu exposito; multo minus potest obscurari aut delitescere.

13. Quidam Theologi (ut Stapleton, Princip. C. 1, L. 2, C. 2), confundunt visibilitatem cum catholicitate loci. Et revera hæc illustris visibilitas Ecclesiæ videtur in suo conceptu integro necessario involvere ideam latæ extensionis: societas enim intra limites angustos coarctata vix vocari potest eminenter visibilis. Probata visibilitate probatur catholicitas quæ in illa implicatur. Expediit tamen ea ut attributa distincta et separatim considerari, visibilitate isto generali modo jam indicato (n. 7) spectata. Quod hic dicitur de visibilitate et catholicitate

loci, sciz. priorem implicare posteriorem, et de aliis quibusdam attributis Ecclesiae, praesertim si adaequate et in concreto spectentur, dici potest. Possunt tamen, per abstractionem et praecisionem mentis nunc tales et tales rei aspectus considerantis, ceteris in aliud tempus et locum relegatis, ut distincta tractari. Hoc modo tractandi et ordini et claritati et conceptuum nostrorum infirmitati melius plerumque consulitur.

14. Dicere Ecclesiam esse visibilem, sensu exposito, et eam habere Notas, quid unum et idem sonat: vide infra ubi de Notis Ecclesiae, in fine hujus operis.

15. Heterodoxorum sententiae sub quadruplici capite ordinari possunt. *Prima* est eorum qui Ecclesiam omnino et essentialiter invisibilem esse affirmant. Hanc sententiam necessario tenere debent, qui tenent Ecclesiam ex solis praedestinati aut ex solis justis constare (D. 3, n. 6 et 80, &c.). *Secunda* sententia eorum est qui duplicem fingunt Ecclesiam, aliam visibilem aliam invisibilem. In hac sententia membra ecclesiae invisibilis sunt vel soli praedestinati, vel soli justis, vel soli praedestinati et justis, &c. Ceteri sunt membra ecclesiae visibilis. *Tertia* sententia eorum est qui nomine tenus admittentes Ecclesiam esse visibilem, attamen hanc Ecclesiam, non qua visibilem sed qua invisibilem—seu, aliis verbis, eam illius Ecclesiae partem quae invisibilis est—variis privilegiis et dotibus a Christo Ecclesiae suae promissis et collatis solam gaudere. *Quarta* demum sententia eorum est qui admittunt Ecclesiam esse ex ordinatione divina visibilem, sed non talem ita essentialiter et indefectibiliter, quod ullo temporis spatio quantumvis exiguo non possit aut multum aut etiam omnino obscurari. Hi ergo dicunt corruptiones in fide, &c., adeo, pro tempore

saltem, cliffundi posse, ut nitorem Ecclesiæ multum obscurent, vel etiam prorsus denigrent.

16. Difficillimum est, imo plane impossibile, statuere quænam ex illis sententiis, et quousque, sit huic vel illi sectæ aut etiam huic vel illi particulari scriptori, etiam classico, inter Protestantes tribuenda. In eorum libris legendis sequentia notavi: I. Haud pauci auctores (ut Field, L. 1, C. 10, Gerhard, C. 7, Palmer, l. c.) tanquam calumniam acriter rejiciunt assertionem quod apud plerosque Protestantes, aut apud multos, aut apud insigniores, receptum sit dogma Ecclesiæ omnino invisibilis, aut Ecclesiarum duarum, quarum una est visibilis altera invisibilis, &c. &c. II. Quod de Protestantibus antiquioribus scripsit Bellarminus (L. 3, C. 11), et de multis recentioribus verum est, sciz., quod profiteantur quidem “Ecclesiam esse visibilem ; sed sic tamen ut, nomine visibilis, re invisibilis esset? Diserte enim affirmant Ecclesiam esse visibilem, sed statim ea proferunt, quæ conceptui, saltem Catholico, visibilis' Ecclesiæ nulatenus accommodari possunt. III. Quicquid dicatur de inconstantia unius et ejusdem scriptoris, unius et ejusdem sectæ, hoc saltem compertum est et sectas sectis, et scriptores scriptoribus, in hac materia, aperte contradicere et repugnare. Quod affirmat Browne (Expositio 39 Articulorum), de primis Novatoribus, et de eorum posteris pari jure affirmari potest :—“ Certum est hunc Articulum [sciz. 19, vide infra, n. 24], in considerata Ecclesia visibili sistere, neque ullam sententiam auctoritativam de Ecclesia invisibili proferre. Et ipsi quidem reformatores in suis de hac materia sententiis multum variantur: etsi tristes corruptiones Ecclesiæ visibilis tunc temporis illos naturaliter eo impulerunt, ut promissiones in Scrip-

tura contentas non ad Ecclesiam universalem sed ad corpus occultum accommodarent.”* Notavi IV. eos etiam auctores qui in declaranda visibilitate Ecclesiae videntur nobiscum convenire, et ad nostram doctrinam integram accedere, attamen in quibusdam etiam gravioris momenti deficere, neque plenitudinem veritatis Catholicæ exhibere : D. 4, n. 4, et infra n. 26.

17. Improbis esset labor plurium sectarum et scriptorum sententias, etiam quæ bene intelligi et describi possunt, hic congerere. Quasdam afferam. *Primo.* Qui tenent Romanum Pontificem esse Antichristum, aut Ecclesiam Catholicam, per aliquot secula ante schisma Lutheri, in idololatria et superstitione, &c., submersam fuisse, illi, sive sibi constantes actu teneant necne, saltem logica necessitate tenere debent, Ecclesiam vere, per ista secula, invisibilem fuisse. Planum est enim talem Ecclesiam non se exhibere ut Ecclesiam Christi sed ut synagogam diaboli, ideoque non esse visibilem, quæ Caput habet ipsum Antichristum ; cujus omnes Episcopi, Presbyteri, monachi, moniales, laici non tantum se Antichristo voluntarie subjiciunt, et subjectos esse profitentur, sed etiam hanc subjectionem ei jure divino debitam esse, tanquam dogma fidei et tenent et aperte declarant. Idem dicendum est de Ecclesia idololatræ. Quod si utrumque jungas, et subjectionem istam Antichristo et ido-

• 11/

i M

* “It is, however, certain that the Article confines itself to the consideration of the visible Church, and gives us no authoritative statement concerning the invisible Church. And indeed the Reformers themselves vary considerably in their statements on the subject, though the sad corruptions in the visible Church in their days led them naturally to apply some of the promises in Scripture to a secret body, and not to the universal Church.”—Art. 19, Sect. 1, vol. ii., p. 136.

lotatriam, monstrum habes, quod inter et Ecclesiam Christi eadem intercedit similitudo ac inter lucem et tenebras, inter vitam et mortem, inter Christum ipsum et Belial.

18. Neque dicatur, ut quidam dicunt, non omnes scienter et culpabiliter subjectos fuisse Antichristo, aut cultum idololatricum frequentasse et fidem idololatricam professos esse, *ftesp.* (ut alia omittam), quaestionem non esse de opinionibus et actibus hominum, quatenus sunt magis aut minus *culpabiles*; sed quaestionem esse de facto, seu facto dogmatico, sciz., an Ecclesia de qua talia jure affirmari possunt, sese ut Ecclesiam Christi mundo manifestet.

19. Sed prædictas blasphemias horrendas innumeros Protestantes et olim professos fuisse et hodie, in his regionibus, profiteri extra omne dubium est. Non est opus—quod tamen, ob ingentem eorum numerum, factu impossibile esset—eorum nomina recensere. Documentum unum aut alterum sufficiet. Palmerus ipse indirecte fatetur majorem numerum interpretum Protestantorum seculi elapsi hanc sententiam tenuisse. Auctor quidam libri rabidi recenter editi sic scribit:—“ Idem sentientes cum ecclesia Anglicana in suis Articulis et Homiliis solemniter docentis, et cum omnibus Theologis primariis ejusdem Ecclesiæ, a tempore reformationis usque [hic plura nomina doctorum Protestantorum recenset, Jewel, &c., vid. infra, not], historiam seculorum mediorum ut

* In appendice seu additamento ad Tract, de Ecclesia; vol. ii., p. 452.

t Hic est auctor quem, in dicta appendice, refutandum suscipit idem Palmer.

historiam Apostasia? Papalis habemus : ctquærentes Ecclesiam Christi in illis seculis, eam inveniemus, consentanee cum prædictionibus Danielis et S. Joannis, ‘adversus quam bellatur/ ‘cui praevaletur/ ‘contritam/ ‘victam/ sed semper *visibiliter* existentem ;f hæc mala tempore definito passuram, et in fine resuscitandam esse, et triumphaturam.”^

20. Ex locis Homiliarum ab isto auctore commemoratis sequentia specimina sufficiant :—“ Laici et clerici, docti et indocti, viri et feminae, pueri et puellæ totius populi Christiani, omni anno aetatis, omnium sectarum et graduum, idololatria abominandfi, vitio omnium et Deo maxime detestabili et homini maxime exitioso, omnes simul (horribile cogitatu), et hoc per spatium octingentorum annorum submersi sunt.”§ Et iterum :—“ Si§

* Auctor non indicat loca Danielis et Joannis, unde hæ phrases desumuntur. Sunt, ut puto, Dan. vii. 21, 25 ; Apocal. xi. 7.

f Sciz., ut auctor in isto opere late et furiose declarat, in Valdcnsibus, Paulicianis, Catharis, Albigenisibus, Avicdeffitis, Hussitis, et ceteris ejusmodi haereticis abominandis et impiis: vid. infra, n. 160, &c.

f “In full agreement, then, with, the authorized teaching of the Church of England, in her Articles and Homilies; and with the views of all her leading divines from the Deformation downward—Jewel, Hooker, Hall, Ussher, Downame, Mede, Chandler, Halifax, Newton, More, Hurd, Lowth, Van Mildert, Davison, &c.,—we regard the history of the Middle Ages as the history of the Papal Apostacy; and in seeking for the Church of Christ in those ages, we look to find it, in conformity with the predictions of Daniel and St. John, ‘warred with,’ ‘prevailed against,’ ‘worn out,’ ‘overcome;’ but still always visibly existing; to suffer these things for an allotted period, and in the end, to revive and triumph.”—*The Church in the Middle Ages*, page 3.

§ “Laity and clergy, learned and unlearned, all ages, sects, and degrees of men, women, and children, of whole Christendom (an horrible and most dreadful thing to think) have been at once drowned in abo-

hanc [descriptionem Ecclesiæ Christi statim antea traditam] cum Ecclesia Romana conferas, non qualis principio erat, sed qualem se nunc habet, et a nongentis circiter abhinc annis se habuit; bene videbis statum ejus a natura veræ Ecclesiæ tantum distare, quod nil magis ab eadem distare possit.* De Homiliis unde hæc flores tam suaveolentes excerptæ sunt, hæc habet Articulus (ex 39 Artic.) 35 :—“Tomus secundus Homiliarum . . . continet piam et salutarem doctrinam, et his temporibus necessariam, non minus quam prior tomus homiliarum, quæ editæ sunt tempore Edwardi Sexti. Itaque eas in Ecclesiis per ministros diligenter et clare, ut a populo intelligi possint, recitandas esse judicavimus.” Hæc testimonia, quæ interprete certe non indigent, systemati Tractarianorum de unitate Ecclesiæ sicut et de visibilitate vehementer repugnant. Mirum quantum se torquet Palmerus in iis conciliandis (vol. i., p. 237, &c. ; vol. ii., Append., p. 460) ; sed conatu prorsus irritato, et quide: perridiculo.

21. *Secundo.* 'Manifesto duas esse Ecclesias tenet Litton, loco supra allato (D. 2, n. 17), quarum una est

minable idolatry, of all other vices most detested of God, and most damnable to man, and that by the space of eight hundred years and more.”—*Homily against the Peril of Idolatry*, p. 201, i. e. Homilia adversus Periculum Idololatriæ.

* “Now if you will compare this [description of the true Church of Christ] with the Church of Rome, not as it was in the beginning, but as it is at present, and hath been for the space of nine hundred years and odd; you shall well perceive the state thereof to be so far wide from the nature of the true Church, that nothing can be more.”—*Homily for' JFhitwulay*, p. 394, i. e. Homilia pro Dominica Pentecostes.

visibilis altera est invisibilis. Seu potius tenet existere Ecclesiam quæ constat ex solis justis, quæ est ipsa vera Ecclesia, quæ Una, Sancta, &c., est; et hæc Ecclesia invisibilis est. Praeter illam existant plures societates Christianae, quæ non constituunt unam Ecclesiam, sed tot sunt ecclesiae particulares. Hanc sententiam puto esse valde communem inter quasdam sectas Protestantium harum regionum, etiam Ecclesiae Constitutae. Ita etiam antiqui Protestantes communius docuisse videntur. “Qua supposita distinctione [duplicis Ecclesiae, visibilis et invisibilis] respondent [multi ex antiquis Protestantibus], Ecclesiam invisibilem esse veram Christi Ecclesiam

* Aliquando equidem iis utitur verbis quæ, per se sumpta, sensum Catholicum sapere viderentur; ut quum dicit quod Novatores melius sententiam suam significassent, “si, loco dicendi veram Ecclesiam esse invisibilem, simpliciter affirmassent illud quod *veram vitam* Ecclesiae constituit esse invisibile” (pag. 323)—[“The reformers would have better expressed their meaning . . . had they, instead of saying that the true Church is invisible, simply affirmed that that which constitutes the *true being of the Church is invisible*”]. Illa vocabula “true being” per *veram vitam* reddenda esse ex contextu colligo, et ex loco Confessionis Tetrapolitanæ (al. Argentincnsis), statim cum laude exscripto — “Hæc [Ecclesia], quanquam id, unde habet quod vere ecclesia Christi sit, nempe fides in Christum, videri nequeat, ipsa videri tamen, planeque ex fructibus cognosci potest” (ibid, et p. 46). Attamen hunc Doctorem Protestantium duas tenere Ecclesias, quarum una in altera continetur, sed adhuc distinctas, planum est ex supra citatis, et ex eo quod (pag. 306), “distinguit Ecclesiam prout est visibilis ab Ecclesia *in sua veritate*, id est, prout defæcatur ab extraneis admixtis” [“The distinction between the Church as it is visible and the Church in its truth, —that is, as defecated from extraneous admixtures”]: per quæ extranea intelligit injustos; ut constat et ex eo quod tenet justos solos pertinere ad Corpus mysticum Christi (pag. 312, &c., vid. I). 3, *objectiones* passim), et ex aliis multis locis (vid. *objectiones* in hac Disp, infra).

et Catholicam, cui promissum est ut nunquam deficiat, nec portæ inferi contra eam prævalerent. Alteram vero Ecclesiam apparentem et visibilem, licet in hac externa specie perseveret, dicunt, in veritate fidei, et subinde in subsistentia veræ Ecclesiæ posse deficere, et jam defecisse in Ecclesia Romana, cujus formam et speciem ita depingunt ipsi.”—Suarez, Defens. L. 1, C. 7, n. 1. Ita quoque Xowellus ‘(nisi quod, loco justorum, recenset prædestinatos ut sola membra Ecclesiæ), in suo Catechismo, de quo, sicut et de Apologia Jewelli, dicit Litton (pag. 48), quod u auctoritatem semi-symbolicam habet.” Sequentia excerpta ex isto Catechismo doctrinam illius satis manifestabunt :—“*Auditor.* Ecclesia est corpus Republicæ Christianæ, id est, universitas societasque fidelium omnium, quos Deus per Christum ad vitam perpetuam ab æterno tempore destinavit.....*Magister.* Potestne Ecclesia aliter cognosci, quam cum Fide creditur? [seu, aliis verbis (ut ait Litton), sitne Ecclesia absolute invisibilis?] *Aud.* Hic quidem in Symbolo proprie agitur de eorum congregatione, quos Deus arcana electione per Christum sibi adoptavit ; quæ Ecclesia nec oculis cerni, neque ex signis cognosci perpetuo potest. Est tamen et [i. e. etiam, “also,” Lit.] visibilis seu spectabilis Dei Ecclesia, cujus nobis indicia notasque ostendit et patefacit..... Visibilis Ecclesia non est aliud, (piam certa quædam multitudo hominum, qui in quocunque loco sint, puram et sinceram profitentur doctrinam Christi ; illam ipsam videlicet, quam Evangelistæ atque Apostoli Sacrarum literarum sempiternis monumentis fideliter memoriæ prodiderunt: quique Deum Patrem Christi nomine vere invocant ; utuntur præterea ejus mysteriis, quæ usitato nobis vocabulo Sacramenta vo-

cantur, eadem puritate, et simplicitate (quod ad ipsorum naturam attinet) qua usi sunt et literis consignarunt Apostoli Christi Sunt hæ quidem Ecclesiae visibilis notae præcipuæ et plane necessariae ; ut sine quibus ne Ecclesia quidem Christi esse, dicere recte possit. Sed et in eadem Ecclesia, si probe instituta fuerit, certus gubernationis ordo et modus, disciplinæque Ecclesiasticæ ea ratio observabitur, ne impune liceat cuiquam, qui in illo grege versatur, publice quicquam impie, flagitioseve vel dicere, vel facere, &c.....*Mag.* An non omnes ergo in hac visibili Ecclesia sunt ex Electorum ad vitam æternam numero ? *Audit.* Multi per hypocrisin, et simulationem pietatis, in hanc se societatem adjungunt, qui nihil minus quam vera Ecclesiae membra sunt. Verum, quia ubicunque verbum Dei sincere docetur, et Sacramenta rite administrantur, ibi perpetuo sunt aliqui ad salutem per Christum designati, totum illum coetum Ecclesiam esse Dei censemus.”—(Pag. 53, 55, 56, 57). Similia habent *Barrow*, *Field*, *Gerhard*, *Jeremias Taylor*, *Catechismus Genevensis a Calvino conscriptus*, &c. &c., quorum verba videas ap. eundem *Litton*, pag. 49, &c., pag. 323, &c.

22. Eorum qui Ecclesiam invisibilem tenent quidam, ut ex dictis patet, dicunt eam contineri in visibili, seu potius in isto coetu ecclesiarum particularium, quas non alio sensu dicunt constituere unam Ecclesiam, nisi quod habeant unum finem, unum Caput invisibile, &c. Alii

* “ The external society [of professing Christians] is not the Church.....Yet the Church is in that society, or the aggregate body of professing Christians, as the soul is in the body, or as sincere believers are comprehended in the mass of the professors of the religion

de hoc silent : an vero, si mentem ad hoc punctum convertissent, in eadem essent sententia, nescio.

23. Omnes, aut fere omnes (saltem quos vidi), qui Ecclesiam visibilem et invisibilem tenent, vehementer negant se duas facere Ecclesias ; et nostros Theologos oppositum affirmantes perversæ interpretationis acriter incusant, e. g. Gebhard (de Eccl. C. 7, n. 70, pag. 259, col. 1), sic incusat Bellarminum. Putamus Doctores Catholicos et Protestanticos, quoad hoc, bene conciliari posse. Cum enim Protestantes dicunt se non duas sed unam facere Ecclesiam, ista vocabula “ unam Ecclesiam” sensu Protestantico intelligunt (qui sensus infra D. 6, explicabitur). Non enim admittunt doctrinam Catholicam de unitate Ecclesiæ prout a Christo constituta, et, ex promissione divina, in aeternum integra et illæsa duratura. Secundum hanc vero doctrinam, et Catholicum conceptum unius Ecclesiæ loquuntur Theologi nostri, cum affirmant, et verissime affirmant, Protestantes præfatos duas facere Ecclesias. Simili modo, ut suo loco videbitur, multi Protestantes tenent Ecclesiam Graecam, Protestanticam et Catholicam tres esse partes unius Ecclesiæ universalis, quæ ex his constat. Nos autem dicimus istas Ecclesias esse omnino disjunctas, diversas et oppositas. Et recte nos ita loquimur : non enim tene- mur nec debemus nostrum loquendi modum conceptui

of Christ i. e. “ Externa societas [eorum qui se Christianos esse profitentur] non est Ecclesia.....attamen in illa societate, seu toto corpore eorum qui se Christianos esse profitentur, existit Ecclesia, sicut anima est in corpore humano, vel sicut sinceri fideles includuntur in massa profitentium religionem Christi.” —*Recensio Evangelicals*, (infra, n. 28, citat.), pag. 294.

et doctrinae Protestanticae et falsae accommodare, sed conceptui et doctrinae Catholicae et verae.

24. *Tertio.* Articulus 19 Ecclesiae Constitutae hic est : — “Ecclesia Christi visibilis est coetus fidelium, in quo verbum Dei purum praedicatur, et Sacramenta quoad ea quae necessario exiguntur juxta Christi institutum recte administrantur . . . Sensus hujus Articuli ambiguus est. Intelligi enim potest 1°, quasi affirmans visibilitatem ; vel 2°, quasi definitio Ecclesiae visibilis, nihil dicens de Ecclesia invisibili, an existat vel non, sed ab ea abstrahendo—et haec forsitan esset interpretatio magis naturalis ; vel 3°, quasi supponens existentiam Ecclesiae invisibilis, de qua tamen sermo hic non instituitur, sed tantum de Ecclesia visibili : vid. supra n. 16, III.

25. *Quarto.* Tractarii, ut puto, omnes, et qui ad eorum systema inclinant, visibilitatem Ecclesiae tenent. Ita etiam et alii doctores Ecclesiae Constitutae qui isti systemati refragantur, ut *Whately, Sumner, Hawkins,* &c.* Ex prioribus nemo apertius visibilitatem Ecclesiae profitetur quam *Palmer*, qui (vol. i., pag. 22), ita scribit :— “Per visibilitatem Ecclesiae intelligitur manifesta, publica et nota existentia congregationum seu ecclesiarum quae Christianismum profitentur, et in externis actibus cultus Christiani conjunguntur. Doctrina, quam jam argumentis confirmaturus sum haec *est:—Semper, secundum divinum decretum, tales societates existere de-

* “A characteristic feature of their [the Broad Church Party’s] theology is the prominence which it gives to the idea of the *Visible Church* ; an idea ignored in the teaching of the Evangelicals, and excluded from the creed of the Recordites. On this point the views of the Broad Party approach those of the High Churchmen.”—*Conybeare*, pag. 143.

bere ; et Christianismum nunquam in obscuritatem esse delapsurum, vel quid secretum fieri, quod a paucis individuus dispersis, in professione falsæ religionis viventibus et exterius colligatis, teneretur.”*

26. De Tractariorum doctrina in hac materia hæc noto. I. Etsi ad nostram accedat, eam tamen, ut ex dictis patet, non plene attingit. II. Cum ad speciales quæstiones, sciz., de visibilitate Ecclesiæ in singulis attributis, devenerimus, in multis, et his gravissimi momenti, a Tractoriis, et a fortiori ab aliis Protestantibus, dissentiemus.

27. Quoad ceteras sententias Protestanticas (n. 17, &c.), in genere simul spectatas, dicendum est :—I. Illas prorsus recedere a doctrina Catholica, et cum videntur admittere visibilitatem, reipsa eam non admittunt, vel non nisi visibilitatem quandam coarctatam, demissam, labilem. II. Tollunt existentiam aut necessitatem illarum notarum Ecclesiæ quæ apud nos receptæ sunt. III. Promissiones factas Ecclesiæ ut corpori, v. g. unitatis, soli Ecclesiæ invisibili, vel Ecclesiæ visibilis invisibili parti alligant. IV. Omnem influxum Christi in membra Ecclesiæ, ut talia, membris Ecclesiæ invisibilis limitant.f

By the visibility of the Church is meant the manifest, public, known existence of congregations or churches professing Christianity, and joining in external acts of Christian worship. The point which I am about to establish is, that there were always to exist such societies, according to the Divine appointment ; and that Christianity was never to be reduced at any time to obscurity ; or to be a secret profession, held by a few scattered individuals, living and uniting externally in the profession of *a false religion*.”—Bail I., chap. iii.

I " The Visible Church, into which members are, through this rite [of Baptism], admitted, they regard as a community not possessing any

In omnibus et singulis hisce punctis doctrinae Catholicae omnino adversantur.

28. Ex his patet quam perperam *Zaccariam*, in *Animadversione Capiti 8*, “*Appropinquationis Cami*,” subnexa, hanc quæstionem de visibilitate Ecclesiae inter eas locasse quæ videntur esse nominis tantum (*Zaccar. Thesaurus Theologicus* : invenitur etiam in *Cursu Completo Theolog.*, vol. v., pag. 942). Protestantes multi qui Ecclesiae invisibilitatem tenent, suam in hac re doctrinam tanquam doctrinam summi momenti habent, et, qua rejecta, veritas Catholicae Ecclesiae ineluctabiliter admittenda est. In commentariolo de Visibilitate Ecclesiae recens edito (“*The British and Foreign Evangelical Review*,” June, 1855, No. 13, pag. 295), hæc habentur :—“Everything depends upon the answer to the question, What is the Church? If it is an external society of professors of the true religion, then it is visible as an earthly kingdom ; if that society is destroyed, the Church is destroyed ; and everything that is true of the Church is true of that society. Then, in short, Romanism must be admitted as a logical necessity i. e. “Ex responso ad quæstionem, Quid sit Ecclesia? omnia pendent. Si sit societas externa veram religionem profitentiuin, ergo visibilis est ut regnum externum [hic videtur esse sensus intentus vocabuli ‘earthly’] ; eversa illa societate, evertitur Ecclesia ; et quicquid de Ecclesia vere affirmatur

spiritual endowments whatever ; these being, by Divine decree, reserved for certain individuals arbitrarily selected from the rest.”—*Whately*. “*Infant Baptism Considered*,” pag. 15 : i. c. “visibilem Ecclesiam, in quam per hunc ritum [baptismi] admittuntur membra, tanquam coetum habent nullas dotes spirituales possidentem ; quæ dotes, ex decreto Divino, quibusdam individuuis a cæctu ad arbitrium selectis servantur.

et de illa societate vere affirmatur. *Uno verbo, Romanis, mus [i. e. religio Catholica'] est ergo de necessitate logica admittendus.*"

Sectio Secunda.—PROBATUR DOCTRINA CATHOLICA.

29. *Propositio*—*Ecclesia Christi est eminenter et perpetuo Visibilis.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

30. *Primo probatur ex Vet. Testamento.* In hoc argumento conficiendo, prius ostendemus singula loca jam proferenda de Ecclesia Christi esse intelligenda: deinde ex iis simul sumptis nostram Propositionem as-
truemus.

Primus textus. “Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eam omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, &c. :’ Isaias ii. 2, 3. Eandem prophetiam iisdem fere verbis habet Michæas:—“In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis inter colles: et fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, et dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob: et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus,” &c. : Mich. iv. 1, 2.

31. Hos textus de Ecclesia Christi interpretandos esse probatur. I. Ex consensu Patrum. Sepositis quibusdam symbolicis et mysticis interpretationibus, quæ ad rem non attinent, unanimiter per *Montem* et *Domum Domini* Ecclesiam N. Testamenti intelligunt. Etsi enim

quidam dicant Christum ipsum esse *Montem*, intelligunt tamen Christum ut Caput Ecclesiae, et per illam se manifestantem, &c., quod eodem recidit: vid. infra, n. 59, textus ex Optato, Basilio, Chrysostomo, Augustino et Cyrillo.

32. II. Ex concessis Interpretum Protestantorum insigniorum quorum fere omnes quos vidimus, etsi non pauci ex illis dicant hanc prophetiam non esse adhuc perfecte et quoad omnia impletam (de qua sententia post), tenent tamen eam esse de Ecclesia Christi. Ita Stanhope apud Mant, Michaelis apud Lowth de Sacra Poesi, vol. ii., pag. 76, Clarke, Scott, Patrick, Henderson qui hæc habet: “Phrasis Hebraica quæ in se significat *tempus futurum remotum* indefinite, significationem in Prophetiis magis definitam habet, sciz., *ultimum temporis spatium* divinarum dispensationum, tempus dispensationis Christianæ. Comp. Jerem. xxiii. 20; xxx. 24; Dan. x. 14; Osee, iii. 5. Hinc interpretatio Judaica usitata *dies Messiae*,—tempus cum sit appariturus, et quo durante regnum ejus durabit; cujus [temporis] præsentem locum esse clare propheticum censent Kimchi et alii Rabbini. Abarbanel diserte affirmat ‘[hunc locum] *sine dubio* ad dies Messiae spectare.’”* Ita quoque titulus initii hujus

* “The phrase $\Gamma\text{P}\sim\text{IIN}$, which in itself signifies *remote future time* indefinitely, has, in the Prophets, a more determinate reference; viz., to the *last period* of the divine dispensations, the time of the Christian economy Hence the current Jewish interpretation rrbsn *the days of Messiah*, the time when he should appear, and during which His kingdom should endure; of which Kimchi and other Rabbins consider the present passage to be clearly predictive. Abarbanel says expressly ‘it belongs *without doall* to the days of the Messiah.’ ”

capitis Isaiaë in versione Anglica Protestantica, “Isaiah vaticinatur [vers. 1-5] de regno Christi.”*

33. III. Ex ipsis textibus quorum verba non aliam pati possunt interpretationem. Vel enim sermo est in illis textibus de Ecclesia Christi, vel 1°, de Ecclesia aut gente Judaica, in aliquo suo futuro statu temporario ante Christum (Dixi “temporario ante Christum,” quia talem statum permansisse post Christum tam aperte factis contradicitur, quod nemo hoc dicere ausus est). Secundum hanc interpretationem prophetia impleta est ante Christum. Ita J a h n, cujus hæc sunt verba textum Mich. interpretantis :—“Templum fiet celeberrimum, et a gentibus quoque frequentabitur ; iïcbræi etiam ipsi, ex exilio reduces Deum constanter colent (sub monarchia Persarum et Græcorum) Appendix Hermeneut., vol. ii., pag. 145. Vel 2°, sermo est de statu adhuc futuro Judæorum qui nunc a tot seculis dispersi, posthac in unam nationem congregabuntur, cui omnes nationes terrae, perfecta pace et concordia tunc fruentes, subjicientur. Ita M’Neil l e, cap. vi., pag. 298, qui pro se citat alios quatuor coætaneos Theologos Protestanticos, inter quos tres Episcopi. Vel, 3’, sermo est de ipso monte Sion, seu monte Moria, in quo templum ædificatum est, quæ tantam postea gloriam adeptura erat, utpote ex quo Evangelium Christi ortum duceret, et undequaque diffunderetur. Ita Calvinus, et, probante Lit t o n (pag. 159, *not.*) H e n g s t e n b e r g.

34. Sed prorsus commentitiae sunt illæ interpretationes. Talis est *Prima*. 1°. Falsum est sentes, i. e. ethnicos confluisse aut ascendisse ad Ecclesiam Judaicam.

* “ 1. Isaiah prophesieth of Christ’s Kingdom. 6. Wickedness is the cause of God’s forsaking his people. 10. The prophet Iorcwameth,” &c.

ad “montem Domini,” ad “domum Domini,” ad “domum Dei Jacob.” 2°. Falsum est gentes ullam inclinationem animi ad hoc (qualis significatur per verba, “et dicent, venite et ascendamus ad montem Domini,” &c.), unquam, ante Christum, quovis gradu habuisse, aut quovis modo manifestasse. 3°. Falsum est gentes, ante Christum, edoctos fuisse vias Domini, aut in iis ambulasse, aut alterutrum desiderasse, aut eo tendisse. E contrario, ambulaverunt in viis suis, et “tradidit illos Deus in desideria cordis eorum Rom. i. Post Christum vero “et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam Act. xi. 18.

T

35. Nec contra hæc dicatur textus intelligendos esse de ascensione gentium ad populum Judaicum, ut gentem politicam, et non ut Ecclesiam; vel de liberatione Judæorum captivorum et renovatione templi ex edicto Cyri, qui fuit gentilis; vel de aliquo facto hujusmodi.

3G. *Resp.* In nullo hujusmodi facto verificantur verba prophetiæ. Non 1°, in accessione ad Judæos ut gentem politicam: diserte enim textus exhibent montem et domum *Dei*, in quam ascenditur ut discantur viæ Domini, et ambuletur in semitis ejus, “quia de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.” Manifestum est montem et domum sub aspectu religioso, et hoc solo, contemplari. Non 2°, de liberatione, &c., ut supra, aut de favore aut præsidio aut auxilio quovis, a principe aut gente ethnica Judæis collato. Hujusmodi enim beneficia præstari a quibusdam principibus aut gentibus ethnicis, manentibus ethnicis, toto cælo differt ab eo quod omnes gentes fluerent, multae gentes properarent ad montem Domini, ut legem ejus discerent et amplecterentur, et secundum eam viverent—hoc enim plane significant verba “Venite et ascendamus,” &c. Quis diceret Protestantes harum

P

regionum ad castra Catholicorum anno 1829 transisse, ad religionem Catholicam amplectendam et profitendam, quia anno isto Senatus Britannicus, cum ministris regis et rege ipso, legem, ut aiunt, emancipationis seu liberationis Catholicorum tulerunt ?

37. *Secunda* interpretatio infra, inter objectiones solvendas, n. 85, &c., penitus excutietur et dissipabitur.

38. Quoad interpretationem *Tertiam* (n. 32), sciz., per montem intelligi ipsum montem Sion. In ista interpretatione vel mons Sion accipitur ad literam de monte materiali, vel tropice et ut typo Ecclesiæ. Primum dici non potest. 1°. Quia mons simpliciter dicitur “mons Dei” nec mentio fit Sionis aut Morias in contextu. Infirmum est ergo interpretatio ista, nisi ex contextu aut alio loco firmetur ; quod tamen non fit. 2°. Quia falsum est gentes confluisse ad montem Sion ut montem materiale. Fluxerunt ad Ecclesiam Christi, quæ erat ipsa Ecclesia Judaica continuata et perfecta (D. 4, n. 22). Utriusque vero Ecclesiæ, maxime Judaicæ, signum et typus erat mons Sion, sicut et templum et civitas Jerusalem. Hisce ideoque sub conceptibus sæpissime in Scriptura proponuntur, hisce etiam nominibus vocantur et Ecclesia Christi et Ecclesia Judaica, et hæc quidem quatenus erat typus Ecclesiæ Christi, et quatenus erat in se. Si igitur per montem Dei hic significetur mons Sion, mons iste non ut mons materialis seu ad literam, sed ut typus Ecclesiæ Christi significatur. Et hæc interpretatio, hoc sensu intellecta, facile cum nostra conciliari potest, seu potius, quoad rem, nostra est.

39. Manet ergo nostra interpretatio quæ ad amussim cum verbis textuum concinit. In novissimis enim diebus existit Ecclesia Christi—novissimis quidem, quia

Christiana dispensatio ultima est, quæ, ceteras perficiens et perficiendo tollens, iis succedit, ipsa non aliam sibi subrogandam habitura. Deinde, ad ipsam fluxerunt gentes, fluunt, fluentque. In illa docentur vias Domini ; et, ambulando in semitis ejus, pacem habent et lumen Domini et sanctitatem.

40. *Secundus* textus, quo probatur *Propositio* nostra, desumitur ex eodem *Propheta*, cap. liv. Totum hoc *Caput* est de *Ecclesia* *Judaica*, prout, etsi jam sterilis et derelicta, postea in *Ecclesiam* *Christi* fecundam, firmatam, gloriosam esset transmutanda. Illos versiculos hic proferemus qui ad praesentem materiam præcipue pertinent.

“Lauda sterilis quæ non paries : decanta laudem et hinni quæ non pariebas : quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas : longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad laevam penetrabis : et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabis..... Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui juravi ne inducerem aquas super terram : sic juravi ut non irascar tibi, et non increpem te. Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent : misericordia autem mea non recedet a te, et foedus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus. Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua : et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles Omne vas quod fictum est contra te, non dirigetur, et omnem linffuam resistentem tibi in iudicio iudicabis.”

41. 1. Hæc de Ecclesia Christi, seu, quod idem est, de Ecclesia Judaica ut in Ecclesiam Christi mutanda, vel degente aut Ecclesia Judaica, ut sic, intclligenda sunt. Non posterius ; quia diffusio ingens et amplitudo, &c., ibi prædicta, in gente aut Ecclesia Judaica non est effecta, sed in sola Ecclesia Christi. 2°. Hanc interpretationem ita diserte suam facit S. Paulus, quod omne aliud argumentum supervacaneum reddat :—“ Illa autem quæ sursum est Jerusalem [i. e. Ecclesia Christi, ut patet ex contextu, et ab omnibus admittitur] libera est. Scriptum est enim : Lætare sterilis, quæ non parit : erumpe et clama quæ non parturis : quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum Galat. iv. 26, 27. Subjectum promissionis in primo vers, hujus Capitis Isaiaë idem est per totum Caput.

42. *Tertius* textus ex eodem Propheta, cap. lx., desumitur. “ Surge, illuminare Jerusalem : quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi : filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi,” &c. &c.

43. Hæc de Ecclesia Christi intclligenda sunt. 1°. Ex Patribus : quorum instar sit S. Hieronymus, qui in Isai. (Opera, vol. iii., pag. 447), recensitis et rejectis interpretationibus Judaicis et semijudaicis, sic pergit :—“ Nos autem juxta priorem sensum ad Ecclesiam dici universa

credamus, quæ primum de Judaico populo congregata est, et lumen quod super eam ortum fuerat, per Apostolos transmisit ad Gentes, cui dicitur : Surge, illuminare, ut quæ cecidit in incredulis surgat in fidelibus ; quæ cecidit in Synagogis, surgat in Ecclesiis ; et postquam surrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeat erroris tenebras.” Idem, testante A. Lapide, docent Cyrilus, Procopius, Theodorus, Tertullianus, Augustinus, Ambrosius, Clemens, et alii.

44. 2°. Ex comparatione initii hujus Cap. cum initio Cap. ix., in quo manifesto et certo sermo est de Ecclesia Christi, ut jam videbitur :—“Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiā. Laetabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe,” &c. Item, ex comparatione cum variis locis N. Testamenti. Verba allata Cap. ix. ea sine dubio sunt quæ designantur, Matth. iv. 14, &c. :—“Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Gallilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Jesus prædicare, &c. in prophetia Zachariæ, Luc. i. 78 :—“Visitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis S. Paulus, Rom. xiii. 12 :—“Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus;” et Ephes, v. 8, 14:—“Eratis enim aliquando tenebræ ; nunc autem lux in Domino. Et filii lucis ambulate Propter quod dicit : Surge

qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.” In hisce locis nimis clara videtur esse allusio ad loca Isaiaë ix. et IX. Eadem vero metaphora *tenebrarum, lucis, illuminationis, &c.*, sæpius et significanter in N. Testamento occurrit :—“ In ipso vita erat, et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lucet, et tenebra? eam non comprehenderunt.....Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Joann. i. 4, 9 ; “ Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem,” &c. : ibid. iii. 19 ; “ Ego sum lux mundi : qui sequitur me non ambulat in tenebris :” ibid. viii. 12 ; “ Ego mitto te aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem Act. xxvi. 17 ; “ Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine : qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ Coloss, 1 1 ; “ Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati [facti Christiani] et prolapsi sunt” [redierunt ad Judaismum] &c. : Heb. vi. 4 ; “ Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum 1 Pet. ii. 9- Et similiter in aliis locis multis. Ex quibus omnibus patet solemne esse in Scriptura, sub metaphoris status *tenebrarum et lucis*, significare statum eorum qui extra et qui intra Ecclesiam Christi sunt. Quo posito, quoniam insuper textus citati Isaiaë ix. ; Lue. i. ; Rom. xii. ; Ephes, v., qui manifesto de Ecclesia Christi intelligendi sunt, et textus Isaiaë IX. pariter manifesto inter se verbis et sententiis congruentes sunt, seu (ut dicitur) paralleli; sequitur et textum hunc Isai. IX. de Ecclesia Christi intelligi debere.

45. 3°. λ el interpretandus est hic locus de Ecclesia Christi, vel I. de Ecclesia Judaica, ut sic : vel II. de gente

Judaica, prout restauranda erat post captivitatem Babyloniam : vel. III. de Millennio in fine mundi ; nullam enim aliam interpretationem apud auctores acatholicos vidi. Atqui I. non potest intelligi de Ecclesia Judaica, ut sic. Falsum est enim gentes fuisse ad eam conversas, ambulasse in lumine ejus, &c. Nec II. potest intelligi de temporali gloria gentis Judaicæ post captivitatem. 1°. Quia gloriam istam longe superabat ea quam habuit, v. g. tempore Salomonis ; nec tanta absolute fuit ut laudibus tam magnificis celebraretur ; nec, qualiscunque fuerit, comparata est per istam aggregationem, spoliationem, subjectionem gentium et regum earum, quæ, si hæc interpretatio vera esset, significaretur præcipue vers. 5, 10, 11, 12, 14 :—“ Gens enim et regnum, quod non serviet tibi, peribit : et gentes solitudine vastabuntur.” 2°. Vetant fere singuli versiculi quominus hæc prophetia intelligatur ullomodo de gloria temporali. Jerusalem *illuminanda* est gloria Domini (vers. 1) : et hæc gloria confertur cum *tenebris* quibus operientur Gentes, usquedum ad *lumen* ejus congregentur et in eo ambulent (vers. 2), &c. &c. Sane gloria Domini non est gloria temporalis ; neque tenebræ quibus opertæ sunt Gentes sunt carentia gloriæ temporalis sed fidei veræ et sanctitatis. Neque III. intelligi potest de Millennio isto fabulari, prout infra ostendetur inter objectiones solvendas (n. 85, &c.).

46. *Quartus* locus ex eodem desumitur Propheta, Cap. Ixii. :—“ Propter Sion non tacebo, *et* propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt Gentes Justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum : et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ [i. e. inclyta et gloriosa] in manu

Domini [i. c. per manum Domini, vel coram Deo] et diadema regni [i. e. speciosum et illustre] in manu Dei tui. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt Ecce Dominus auditum fecit in extremis terne, dicite filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit : ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. Et vocabunt eos, Populus sanctus redempti a Domino. Tu autem vocaberis, Quæsita civitas et non derelicta.” Hunc locum esse de Ecclesia interpretandum vid. infra, n. 95.

47. Alia sunt loca Vet. Testamenti, quibus nostra adstruatur Propositio, et apud alios Prophetas tum Majores tum Minores, et in Psalmis et alibi. Sed unum tantum ex illis textum afferemus quem *Quinto* et ultimo loco ponimus :—“ Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum P Malach. i. 10, 11.

48. Quicquid dicatur de oblatione illa munda, an sit sacrificium Eucharisticum, prout nos pro certo habemus, an sacrificium mysticum et improprie dictum, sciz., bonorum operum, orationum, &c., hoc saltem ex ipsis verbis manifestum est, prophetiam intelligendam esse de Ecclesia Christi. Nonnisi enim in Ecclesia Christi magnum est nomen Dei per gentes, late et ab ortu solis usque ad occasum ; nonnisi in hac Ecclesia in omni loco sacrificatur et offertur nomini Dei oblatio munda.

49. Posito hæc quinque loca de Ecclesia Christi intelligenda esse, argumento non opus est prolixo, aut qui-

dem ullo, ut ex iis astruatur ejusdem visibilitas. Ulterius progreditur M'Neille, qui de Cap. IL Isaiaë supra, n. 29, allato scribens, hæc habet :—“Equidem si ostendi potest hanc prophetiam ad praesentem dispensationem pertinere, negari nequit, ut puto, exinde gravem derivari confirmationem illius quod sibi vindicat juris Roma, esse, scilicet, Caput omnium Ecclesiarum.”* Sic rem breviter conficimus.

50. I. Ecclesia Christi in istis prophetiis exhibetur ut mons in vertice montium—elevata super colles—ad quam properantes fluunt gentes et populi multi (Isai, ii.)—Quæ undique gentium late se extendit, loca deserta incolans, frequentans—Quæ ædificio seu civitati ex materia pretiosissima et fulgentissima constructæ assimilatur—Quæ ut Judex supremus quosvis adversarios Judicat (Ibid, liv.)—Quæ illuminatur a Domino—in Qua gloria Domini videtur—in Cujus lumine et splendore gentes et reges earum, sua secum munera maximi pretii atque splendoris, ut eam ornent et ditent, afferentes, ambulant (Ibid. Ix.)—Quæ inclyta est, gloriosa, illustris—Cujus Caput Christus videretur a gentibus—Cujus super muros custodes constituuntur a Deo, qui nunquam in perpetuum tacerent, i. e. Hierarchia semper docens, monens, ministrans, &c. (Ibid. Ixii.)—per Quam nomen Domini magnificatur in Gentibus, ab ortu solis ad occasum (Malach. i.). Atqui impossibile esset Ecclesiam aut quemvis hominum coetum typis proponere, coloribus de-

* “If it can indeed that the prophecy belongs to the present dispensation, it cannot, I think, be denied that it supplies a strong confirmation of Rome’s claim to be the head of all the Churches.” C. 6, pag. 296.

pingere, attributis vestire, titulis insignire, qui clarius et expressius ideam eminentis et eminentissimæ visibilitatis significarent, quam quæ præfatis typis, coloribus, attributis, titulis statim et, secundum usum verborum, necessario menti ingeritur.

51. II. In istis prophetiis significatur Ecclesiæ visibilitas *formalis* : i. e. Ecclesia in illis exhibetur 1°, ut Ecclesia, 2°, ut Ecclesia vera (n. 9). *Prima* pars evidens est ex singulis textibus allatis, v. g. ex Isai. ii. ubi exhibetur ut Domus et Mons *Domini*, gentibus ad eam accedentibus, ut *discant vias Domini et ambulent in semitis ejus, &c. &c.* Quæ omnia coetum hominum non sub conceptu profano, civili, mundano, sed omnino spirituali et sacro significant, i. e. Ecclesiam ut Ecclesiam. *Secunda* pars patet. Ecclesia est visibilis ut Domus et Mons *Domini*, et ad eam *ut talem* accedunt gentes, sciz., ut discant vias Domini et in iis ambulent, id est, ut recte credant et sancte vivant. Sed Mons et Domus Domini non est nisi Ecclesia vera, neque tali nomine vocatur unquam aut vocari potest ecclesia falsa, sed potius domus satanæ et ecclesia malignantium. Nec nisi in Ecclesia vera, ex institutione divina, recte creditur et sancte vivitur. Simili modo idem probatur ex locis ubi Ecclesia exhibetur ut luminosa, gloriosa, illustris, &c. Lumen enim hoc et gloria sunt lumen et gloria Domini, sunt divina, et iis circumdatur Ecclesia ; per ea circumfulget et Gentes ad se attrahit. Se ergo exhibendo ut hæc divina habentem, se eo ipso manifestat ut Ecclesiam veram. Denique, diserte affirmatur formalis hæc visibilitas cum dicitur, “ Super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te *videbitur*—Et *videbunt* Gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum Isai. Ix. et Ixii. Ecclesia igitur visi».

bilis est ut in se ipsa visibilem reddens gloriam Domini, super eam, ut solis, orti camque illuminantis : et in ea justus et inclytus ejus a gentibus et regibus videtur : i. e. Ecclesia visibilis est ut Ecclesia Dei.

52. III. Hæc visibilitas Perpetua est et Indeficiens. Æque enim absoluta et irrevocabilis est promissio de hac visibilitate, ac jusjurandum Noe factum de aquis diluvii ultra super terram non inducendis, Isai. liv. 9. Deinde, hæc promissio toties et adeo graviter et absolute facta est, quod clarius exprimi non posset :—“ In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus—Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent : misericordia autem mea non recedet a te, et fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus—Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die et nocte in perpetuum non tacebunt, &c. &c. : Isai. liv. 8, 10 ; Ixii. 6. Vix opus est notare quod, ut patet ex lectione contextus, objectum *misericiordiæ* et *foederis pacis*, in his textibus, sit non subtrahere aut minuere fecunditatem, amplitudinem, &c., Ecclesiæ Christi, in suo typo, sciz., sterili et paupercula Ecclesia Judaica, promissas.

53. Secundo, *Probatur Propositio ex Novo Testamento.* Argumentum I. ex Nominibus quibus Ecclesia vocatur, quæ sunt *Corpus, Domus, Templum, Pignus, Civitas* : D. 2, n. 4, &c., D. 6, n. 79, &c. Fateor dari posse corpus invisibile, domum invisibilem, &c. Sed ex hujusmodi nominibus per se intelligitur aliquid sensibile ; et ita statim, ex usu loquendi universali, intelligerent homines, nisi contrarium vel diserte exprimeretur vel in contextu insinuaretur. Sic, S. Joannes, Apoc. xxi., “ sanctam civitatem Jerusalem novam” eo modo de-

scribit, qui dare ostendit eum loqui de civitate cælesti nobis invisibili. Dixi “nobis invisibili,” quia revera, ex descriptione S. Joannis, patet illam civitatem esse maxime et formaliter visibilem iis apud quos existit, sciz., beatis in cælo, etsi non nobis in terra, illa enim civitas non est in terra. Ideoque textus hujusmodi non solum non sunt contra nos, sed valde pro nobis sunt. Jamvero in textibus, unde supra allata nomina desumuntur, non tantum non exprimitur vel insinuat aliquid de corpore, domo, &c., invisibili ; sed contrarium vel declaratur, vel haud obscure insinuat, ut, v. g., cum Christus, vocans Ecclesiam nomine Civitatis, dicit, “Non potest civitas abscondi supra montem posita Matth. v. 14. Habemus ergo plures appellationes quibus in N. Testamento Ecclesia indicatur, quorum omnes, ex usu loquelæ, ideam visibilitatis, quædam vero conspicuæ visibilitatis, sibi annexam habent et ingerunt. Nihil est vero in ullo ex multis locis ubi hæc nomina inveniuntur, quod hanc ideam corrigat aut temperet : sunt e contra quæ eam clarius significant. Qui ergo hisce nominibus usi sunt, voluerunt vel hanc ideam ingerere vel nos decipere.

54. Neque contra hæc dicatur Ecclesiam non vocari Corpus, Domum, &c., simpliciter, sed Corpus *Christi*, Domum Dei, &c.

55. *Resp.* Hæc addita non rem e visibili invisibilem, sed e profana sacram efficiunt. Quod est Dei et Christi ideo sanctum est, non ideo ab oculis ereptum. E contra, quo magis est Dei et Christi, eo magis ordinarie quæ in eo divina sunt manifestat. Ecclesia cum Civitas vocatur, Civitas quidem Dei intelligitur, et tamen supra montem erigitur, et abscondi *non potest*. Tanta est enim in eam charismatum caelestium infusio, ut non possint non large

se exterius prodere ; tanta est lux, ut non possit non lucere.

56. Vix opus est ostendere visibilitatem hisce appellationibus significatam formalem esse et perpetuam. Formalis est. Nam Ecclesia non nisi *qua* Ecclesia est Corpus, Domus, &c. Non est corpus nisi Corpus Christi, non est domus nisi Domus Dei. Sed est visibilis ut Corpus, ut Domus : est ergo visibilis ut Corpus Christi, ut Domus Dei, i. e. ut vera Ecclesia. Perpetua est. Ecclesia enim semper est Corpus Christi, Domus Dei, Templum Dei, &c.

57. Argumentum II., ex ipsa Constitutione, Officiis et Fine Ecclesiae. Est enim Ecclesia non turba confusa et colluvies rerum, sed quid ordinatum. Constat ex rectoribus et subditis, quorum priorum est, secundum suos in ista hierarchia diversos gradus, praesesse, regere, leges ferre et temperare et tollere, praecipua edere, invigilare, judicare, variis muneribus aptiores praeficere, delinquentes poenis plectere, domesticos fidei docere, extraneos praedicando et aliis mediis convertere, sacramenta ministrare, &c. Omnium vero est externos actus fidei, spei et charitatis, ceterarumque virtutum, pro temporis et aliarum circumstantiarum ratione, ponere; Deum et publico et privato cultu prosequi; omnia ea denique officia praestare quae virum Christianum, erga se et proximum et Deum, decent. Haec ex innumeris locis Scripturae clarissime constant; ex quibus quorundam verba initialia indicare hic sufficiat:—“Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos,” &c.; Ephes, iv. 11; “Site nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores, &c.,” 1 Cor. iv. 1; “Attendite vobis et universo gregi,” &c.; Act. xx. 28; “Ego . . . judicavi . . . tradere

hujusmodi satanæ,” &c.: 1 Cor. v. 3; “Si non audierit eos, dic Ecclesiæ,” &c.: Matth. xviii. 17; “Tu es Petrus et super hanc,” &c.: xvi. 18; “Euntes ergo docete,” &c.: xxviii. 19; “Et eritis mihi testes in Jerusalem,” &c.: Act. i. 8; Vos estis lux mundi, Cvc.; Sic luceat lux vestra,” &c.: Matth. v. 14,16; “Qui confitetur me coram hominibus,” &c.: x. 32; “Corde creditur ad justitiam ore autem,” &c.: Rom. x. 10; “Si quis diligit me, sermonem meum servabit,” &c.: Joann, xiv. 23; “Rogo . . . ut omnes unum sint . . . ut credat mundus,” &c.: xvii. 20; “Non diligamus verbo sed opere, &c.,” 1 Joann, iii. 18; “Hoc facite in meam commemorationem,” &c.: Luc. xxii. 19; 1 Cor. xi. 24; “Ut resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionem,” &c.: 2 Tim. i. 6. Hi textus in sequentibus Disputationibus integri, suis locis, exscribentur et excutientur. Illis vero alii sine numero, ex singulis libris N. Testamenti, adjici possent prædictam Ecclesiæ constitutionem, officia et operationes in ea quotidianas et perpetuas, planissime indicantes. Jamvero cum tali constitutione non magis consistere potest invisibilitas, quam cum luce tenebræ, cum motu quies, cum bello pax. Hoc argumentum, quod in immensum ampliari posset, quodque hic summatim tantum, et quidem vix etiam summatim, delibavimus, ulterius evolvere supervacaneum esse videtur. Formalem esse et Perpetuam hanc visibilitatem ex jam dictis facile ostendi potest. Ad minus sequitur Ecclesiam Christi esse essentialiter visibilem, ut Ecclesiam, et ergo Ecclesiam quæ non fuit semper visibilis, eo ipso non esse Ecclesia] Christi veram argui.

58. Etsi, ne ultra modum hæc Sectio producat, ab evolvendis sigillatim quæ in jam dato argumento conti-

nentur capitibus abstinemus, quædam tamen, speciminis gratia, breviter notabimus. L Voluit Christus omnia Ecclesiæ suæ membra in recta via, quoad fidem et mores, semper incedere, fidem veram tenere et vitam sanctam agere. Ad hunc finem assequendum, aut saltem, ut omnes adversarii admitterent, ad securius et perfectius assequendum, constituit pastores, prædicatores, rectores. Horum officium est attendere gregi illis commisso, contra falsos fratres et seductores monere, prædicare, instare, t arguere, obsecrare, increpare, vigilare, &c. &c. : Act. xx. ; 2 Tim. iv., &c. &c. Hæc officia ex parte præpositorum supponunt, quod et alias diserte præcipitur et inculcatur, officium audiendi et obediendi ex parte simplicium fidelium. Utriusque generis officia implenda sunt perpetuo in vera Ecclesia, ut tali, in vero Corpore Christi mystico, ut tali. Sed horum officiorum exeeutio ita visibilis est quod invisibiliter fieri non potest. Ecclesia Christi vera in his proinde visibilis est. II. Ecclesia vera debet esse clare et certo distinguibilis ab omni Ecclesia falsa—*Primo*, ut fideles, in ea securi maneant, neque extra eam in sectas falsas evagentur. Si enim vera Ecclesia a falsis non sit distinguibilis, ut vera Ecclesia, fidelibus constare non potest se esse in via recta ; constare non potest an hæc vel illa alia Ecclesia non sit Ecclesia vera, et idcirco an non sit licitum aut obligatorium ad aliquam aliam Ecclesiam transire. Praeterea monentur fideles cavere et fugere a falsis doctoribus qui sese ut veros exhibent : Matth. vii. 15 ; Act. xx. 29-31 ; Rom. xvi. 17. Ergo præsto sunt media quibus distingui possunt veri a falsis pastoribus, et vera a falsa Ecclesia. Jamvero, si Ecclesia vera sit certo et clare distinguibilis, ut Ecclesia vera, ab omnibus sectis falsis, est ergo visibilis ut Ecclesia vera :

hæc enim duo idem significant. III. Ecclesia vera debet esse clare et certo distinguibilis ab omni ecclesia falsa_ *Secundo*, ut infideles ad eam pervenire possint. Deus enim “ omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire 1 Tim., ii. 4. λ"nit emo omnes ad Ecclesiam veram pertinere. Dat ergo, quantum in ipso est, omnibus media sufficientia ad eam perveniendi. Sed ad eam pervenire non possunt, si eam ut veram ab omni falsa Ecclesia secernere nequeant. Ergo Ecclesia vera est, ut talis, distinguibilis. Ergo, &c., ut supra. Hæc et alia hujusmodi fusius evolvuntur ap. St a p l e t o n, Principia, Cont. 1, L. 1, C. 6, 7 ; Liber, a Jesu, P. 1, D. 2,

Probat ur Propositio ex SS. Patribus.

59. (i.) “Non credentibus autem illis [Judæis], novissime misit Filium suum, quem cum occidissent mali coloni, projecerunt extra vineam. Quapropter tradidit eam Dominus Deus non jam circumvallatam, sed *expansam in universum mundum* aliis colonis, reddentibus fructus temporibus suis, *turre electionis exaltata ubique et speciosa. Ubique enim preclara est Ecclesia*, et ubique circumfossum torcular : ubique enim sunt qui suscipiunt Spiritum.”—S. Ibenæus, adversus Hæreses, L. 4, C. 36, n. 2 (pag. 278).

(ii.) “Ecclesiæ quidem prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via *in universo mundo ostenditur*. Huic enim creditum est *lumen Dei*, et propter hoc ‘sapientia’ Dei, per quam salvat omnes homines, 4 in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit, *in summis muris prodicatur, in portis autem civitatis constanter loquitur* [Prov. i. 20, 21]. Ubique enim Ecclesia prædicat veritatem : et hæc est €7ττα/ζυξο9 [septem ellychnia vel

caliculos habens] *lucema Christi bajulans lumen.*"—*Idem*, L. 5, C. 20, n. 1 (pag. 317).

(iii.) "Pasce nos infantes, sicut oves. Etiam, Domine, imple tuis justitias pascuis : etiam, Pædagoge, pasce nos ad sanctum tuum montem ad Ecclesiam quæ *in alto est, quæ superat nubes, quæ cælos tangit* : *την Εκκλησίαν, την νφουµενην, την υπερνεφη, την αποµενην ουρανών.*"—S. CLEMENS ALEXANDRINUS, Pædagogus, L. i., C. 9 (pag. 125).

(iv.) Ecclesia Domini *luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit.* Unum tamen lumen est *quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur.* Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit."—S. CYPRIANUS, de Unitate Ecclesiæ (pag. 195).

(v.) "Thronum Christi intellige Ecclesiam: in illa quippe requiescit. Erit igitur, inquit, Ecclesia Christi *fulgens et illuminans* [*καταστραπτουσα και φωτιζουσα*] *orbem, manensque in æternum pñ/veA-us*] *sicut sol et luna.* Nam dictum illud ita se habet : 'Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum et testis in cælo fidelis.'"—S. ATHANASIUS, Expositio in Psalmos, in verba, "Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo : " Psalm Ixxxviii. 38 (tom. i., Pars 2, pag. 1160).

(vi.) "Scriptum est in Esaia Propheta: 'Ex Sion prodiet lex, et verbum Domini de Hierusalem' [ii. 3]. Non ergo in illo monte Sion Esaias aspicit vallem ; sed in monte sancto, qui est Ecclesia, qui *per omnem orbem Romanum caput tulit sub toto cælo* Est ergo spiritualis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus ; quæ est in toto orbe terrarum, in quo est una Ecclesia catholica." S. OPTATUS MILIVITANUS, de Schismate Donatistarum, L. 3, n. 2 (pag. 996, 997).

(vii.) “Quomodo enim tunc mons Domini [Isa. ii. 3) fiet conspicuus [β^αφανι/σεται] ? quo item pacto domus Dei collocabitur in montium cacuminibus ? Neque enim carnalis Israel ortum expectat alterius montis : neque secundæ domus fabricam præstolatur aliis cacuminibus superimponendam : mons autem Sion ac templum etiam vaticinantis Isaiaë tempore conspiciebatur Domus Dei, in montium cacuminibus sita Ecclesia est juxta Apostoli sententiam. Sciendum est enim, inquit, ‘ Quomodo oporteat versari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viventis ;’ cujus fundamenta sunt in montibus sanctis : est enim ædificata supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum.”—S. Basil ius, Comment, in Isaiam, n. 66 (tom. i., Pars 2, pag. 604).

(viii.) “Hanc viam ambulans Ecclesia dicit: ‘Ego flos campi, et lilium convallium, sicut lilium in medio spinarum in totam enim terram fides populi credentis exivit, et in spatioso posuit pedes suos Christus. Et ideo pulcre ait florem se esse campi. . . . Pulcre etiam lilium dicitur Ecclesia; sicut enim lilium fulget, ita etiam splendent opera sanctorum. Pulcherrime etiam dictum est lilium convallium ; quia in humilibus magis elucet gratia. Sed hoc lilium in medio spinarum, hoc est, inter Judæos et hæreticos, hoc est inter sollicitudines hujus sæculi, quæ mentem hominis animumque compungunt. Possumus etiam aliter accipere ; quia sicut lilium inter spinas eminet, ita *super omnes conventus Ecclesia Dei refulget?*—S. Ambr os ius, Exposit. in Psalm. 118, n. 7 (torn, ii., pag. 248, 249).

(ix) “Ubinam sunt hostes illi [Ecclesiæ] ? Silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia ? *Plusquam sol splendescit.* Quæ illorum sunt extincta sunt, quæ ad

illam spectant sunt immortalia.”—S. CHRYSOSTOMUS, Homil. ante Exilium: vid. supra, D. 4, n. 17, vii.

(x.) “*Manifestus*. Id nulla deinceps interpretatione indiget. Sic ipsa rerum natura tuba clariorem emittit vocem, *splendorem ostendens Ecclesiae*. Etenim neque sol ita splendidus, neque ejus lux ita clara est, ut sunt res ad Ecclesiam spectantes [Ου γαρ ούτω ήλιο φανό , ουίε το εκ τουτου φω , ω τη Εκκλησία τα πραγματα]. Nam ‘Domus Dei supra verticem montium.’” *Idem*, in Isai. ii., n. 2, in verba, “Erit in novissimis diebus *manifestus* mons Domini” (tom. vi., pag. 25).

(xi.) “Audiant gentes, audiant Judæi benefacta nostra, audiant magnam Ecclesiae præeminentiam [προεδ/κων]. A quam multis oppugnata est Ecclesia, nec unquam tamen victa? quot tyranni? quot duces? quot Imperatores? Augustus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, homines literis ornati, potentes, tot modis oppugnarunt recentem ac teneram, at non radicitus sustulerunt; quin potius ii qui oppugnarunt silentur oblivioni traditi, illa vero oppugnata *caelum transcendit* [τον ουρανον υπεραρει] Quis pastor hoc fecit? Christus hoc fecit, quo tibi demonstraret quæ recte geruntur non accidere secundum rerum seriem, sed præter naturam præterque rerum seriem. Nam Ecclesia firmioribus quam cælum ipsum radicibus hæret []/ γαρ Εκκλησία ουρανον μάλλον ερριζωται]. Verum fortassis ethnicus arrogantiae me condemnat: sed maneat donec harum rerum probationem attulero, discatque vim veritatis, quomodo facilius est solem exstingui, quam Ecclesiam deleri [ευκολωτερον τον ήλιον σβεσθηναι, η την Εκκλησίαν αφανισθηναι, abscondi, invisibilem reddi]. Quis, inquit, ista prædicat? Is qui eam fundavit: ‘Cælum et terra transibunt, sed verba mea non transibunt.’

Hæc non modo dixit, sed et complevit : cur enim illam magis fundavit quam cælum ? Siquidem est cælo pretiosior [τῆμ/απ'Ε/χι] Ecclesia. Quare conditum est cælum ? Propter Ecclesiam, non Ecclesia propter cælum. Cælum conditum est propter hominem, non homo propter cælum."—*Idem*, in illud, "Vidi Dominum," Homil. 4, n. 2 (tom. vi., pag. 141, 142).

(xii.) "Facile tibi est adtendere et videre civitatem super montem constituam, de qua Dominus ait in Evangelio, quod abscondi non possit [Matth. v. 14]. Ipsa est enim Ecclesia Catholica ; unde καθολική græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet ; ideo, secundum verbum Domini nostri Jesu Christi, *abscondi non potest!*—S. Augustinus, Epist. 52, η. 1, ad Severinum Donatistam (tom. ii., pag. 90).

(xiii.) "Ipsa [Ecclesia] est, quæ dicit Sponso suo, 'Ubi pascis, ubi cubas in meridie ; ne forte fiam sicut operta super greges sodalium tuorum.' Id est quod alibi dicitur 'Dexteram tuam notam fac mihi, et eruditos corde in sapientia' [Psalm. Ixxxix. 12] ; in quibus luce fulgentibus et caritate ferventibus quasi in meridie requiescis : ne forte velut operta, id est occulta et ignota, irruam non in gregem tuum, sed in greges sodalium tuorum, id est, hæreticorum..... Ipsa est cui continuo respondetur, 'Nisi cognoveris temetipsam, o pulchra inter mulieres, exi tu in vestigiis gregum, et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum.' O responsio dulcissimi sponsi ! 'Nisi cognoveris temetipsam,' inquit. Quia utique non potest civitas abscondi supra montem constituta [Matth. v. 14] : et ideo non es operta, ut incurras in greges sodalium meorum. Ego enim sum mons paratus in

cacumine montium, ad quem venient universæ gentes;” &c. &c.—*Idem*, ad Vincentium Rogatistam, Epist. 93, n. 28, 29 (tom. 2, pag. 183, 184).

(xiv.) “In Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesiam.....Ubi agnovimus Christum in eo quod scriptum est, ‘Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam’ [Psalm, xviii. 6] ; ibi et agnovimus Ecclesiam in eo quod paulo superius [vers. 5] dicitur, ‘In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. In sole posuit tabernaculum suum.’ Ipsa est Ecclesia *in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota, usque ad terminos terræ.*”—*Idem*, ad Donatistas, Epist. 105, n. 14 (*ibid.* pag. 228).

(xv.) “Jam [sub Novo Testamento] in sole, hoc est *in manifestatione*, posuit tabernaculum suum, quod est Ecclesia ipsius.” — *Idem*, de Consensu Evangelistarum, L. 1, n. 46 (torn, iii., Pars 2, pag. 15).

(xvi.) “Quod Dominus dicit, ‘Sicut enim fulgur exit ab Oriente et pervenit usque ad Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis’ [Matth. xxiv. 27] : Orientis et Occidentis nomine totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia, incipiente Evangelio ab Jerusalem [Luc. xxiv. 47], secundum illum sensum quo dixit, ‘Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus’ [Matth. xxvi. 24], Convenienter enim Ecclesiam *nunc fulgur* nominavit, quod maxime solet *emicare de nubibus*. Constituta ergo auctoritate Ecclesiæ per orbem terrarum clara atque manifesta, consequenter discipulos admonet, atque omnes fideles, et qui in eum credere voluerint, ne schismaticis atque hæreticis credant. Numquodque enim schisma et unaquæque hæresis, aut locum

suum habet in orbe terrarum, partem aliquam tenens ; aut obscuris atque occultis conventiculis curiositatem hominum decipit. Quo pertinet quod ait, ‘ si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus aut illic,’ quod significat terrarum partes et provinciarum : ‘ aut in penetralibus, aut in deserto,’ quod significat *obscura et occulta et conventicula hæreticorum*. Quod ergo dixit, ab Oriente in Occidentem perventurum adventum suum, contra illos valet qui per terrarum particulas nominantur, et dicunt apud se esse Christum. Quod autem ait, ‘ Sicut fulgur,’ contra illos valet, *qui occulte congregant* tanquam in penetralibus, et paucos tanquam in deserto : *ad manifestationem quippe claritatemque pertinet Ecclesiæ fulguris nomen, significans etiam noctem vel nubila sæcti hujus : tunc enim fulguris candor apparet.*—*Idem*, Quæstiones in Evangelia, L. 1, Q. 38 (*ibid.*, pag. 178).

(xvii.) “Quando volunt homines videre lunam novam, dicunt, Ecce luna, ecce ubi est : et si sunt ibi qui non valeant intendere aciem, et dicant, Ubi ? intenditur illis digitus ut videant. Aliquando dum erubescunt, ne cæci putentur, dicunt se vidisse quod non viderunt. Numquid *sic* ostendimus Ecclesiam, fratres mei ? *Nonne aperta est ? nonne manifesta ? nonne tenuit omnes gentes ? nonne impletur quod ante tot annos promissum est Abrahamæ, in semine ejus benedici omnes gentes ?* Uni fideli promissum est, et millibus fidelium mundus impletus est. Ecce mons implens universam faciem terræ : ecce civitas de qua dictum est, Non potest civitas abscondi super montem constituta. Illi autem [de quibus in versiculo Joannis statim afferendo] offendunt in montem. Et cum eis dicitur, Ascendite : Non est mons, dicunt ; et facilius illuc faciem impingunt, quam illic habitaculum

quærent. Isaïas hesternâ die lectus est : quisquis vestrum vigilabat, non oculis tantum, sed aure, nec aure corporis, sed aure cordis, advertit, ‘Erit in novissimis diebus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium’ [Isai. ii. 2]. *Quid tam manifestum quam mons ?* Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt. Quis vestrum novit Olympum montem? quomodo ibi qui habitant, Giddabam nostrum non norunt. In partibus sunt isti montes. Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terræ, et de illo dicitur, Paratus in cacumine omnium montium,” &c. &c.—*Idem*, in Epistolam Joannis, in *vers.* “Qui odit fratrem suum in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat” (1 Joann, ii. 11) ; Tract. 1, n. 13 (*ibid.* pag. 608).

(xviii.) “Manifestum est Christum passum, resurrexisse, et adseendisse in cælum : *manifestata* est et Ecclesia, quia prædicatur in nomine ejus poenitentia et remissio peccatorum per omnes gentes. Unde coepit? Incipiens ab Jerusalem. Audit stultus, vanus, et quid amplius dicturus sum quam *cæcus, qui tam magnum montem non videt ; qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudit ?*.....In sole posuit tabernaculum suum, id est, in manifesto. Tabernaculum ejus, caro ejus; tabernaculum ejus, Ecclesia ejus : *in sole posita est, non est in nocte, sed in die.*”—*Idem*, in *cand.*, Tract. 2, n. 2 et 3 (*ibid.* pag. 610, 611).

(xix.) “In Ecclesia sua [Dei] prædicata est veritas, in visceribus matris aperta sunt eorum [Donatistarum] mendacia : patefactum est quod hicet, demonstrata est civitas super montem constituta, *quæ abscondi non potest*, et lucerna posita est super candelabrum, *quæ lucet omni-*

bus qui in domo sunt. Ubi enim latet Ecclesia Christi, ubi latet veritas Christi? Nonne ipse est mons qui crevit ex minimo lapide, et implevit universam faciem terræ? Convincuntur hinc, non habent quod dicant contra Ecclesiam.”—*Idem*, in Psalm. Ivii. n. 9 (torn. iv. pag. 408).

(xx.) “Attendite cujus membra estis: inspicite cujus filii estis. ‘Mulierem fortem quis inveniet?’ Difficile est invenire eam, inimo difficile est nescire eam. Nonne ipsa est civitas in monte, quæ abscondi non potest? Quare ergo dictum est, ‘Quis inveniet?’ cum dici debuerit, Quis non inveniet? Sed tu civitatem in monte positam vides: ut autem in monte poneretur, inventa est quæ perierat. Quando illustrata est, quis eam non videt? quando latebat, quis eam inveniret? Ipsa enim civitas est, et una illa ovis, quam perditam quæsivit pastor, et inventam gaudens in humeris reportavit. Ipse pastor, mons est: ovis autem in humeris ejus, civitas in monte. Facile est ut eam videas collocatam in monte: quando eam invenires, cum lateret in vepribus, in spinis utique delictorum suorum? Ibi enim quæsisse magnum est: ibi invenisse mirabile est. Hæc ejus difficilis inventio commendatur, cum dicitur, ‘Mulierem fortem quis inveniet?’ ‘Quis’ enim, quia unus; non quia nec unus. Quomodo dictum est de ipso viro ejus, leone de tribu Juda, de quo Propheta ante prædixit, Ascendisti recumbens; utique in cruce Quando audis, ‘Mulierem fortem quis inveniet?’ *nolite putare de Ecclesia dici quæ latet*, sed de illa quæ ab uno inventa est, *ut neminem lateret*. Ergo describatur, laudetur, commendetur, amanda ab omnibus nobis ut mater: nam unius uxor est. ‘Mulierem fortem quis inveniet?’ Mulierem istam tam for-

tem *quis non videt* ? Sed jam inventam, jam eminentem, jam conspicuam, jam gloriosam, jam ornatam, jam lucidam, jam, ut cito explicem, toto terrarum orbe diffusam." —*Idem*, Sermo 37, n. 2 (torn, v., pag. 127).

(xxi.) “Universæ ubique diffusæ Ecclesiæ dicitur, ‘Non potest civitas abscondi supra montem constituta’ [Matth. v. 14]. ‘Erit,’ inquit, ‘in novissimis temporibus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium’ [Isai. ii. 2]. Ipse est mons, qui ex parvo lapide crevit, et totum orbem crescendo implevit [Dan. ii. 35]. In illo aedificatur Ecclesia, *quæ abscondi non potest.*” —*Idem*, Sermo 338, n. 1 (*ibid.* pag. 911).

(xxii.) “Et tanquam ille quem catechizamus, quæreret et diceret [gentilis catechizatus], Quo ergo signo *manifesto* adhuc parvulus, et nondum valens liquidam discernere a tot erroribus veritatem, quo *manifesto* indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem jam credere tanta rerum antea prædictarum manifestatione compellor ? sequitur idem Propheta [Jeremias], et tanquam motus animi ejus ordinatissime excipiens, docet eum Ecclesiam Christi ipsam esse prædictam, *quæ omnibus eminet et apparet.* Ipsa enim est sedes gloriæ, de qua dicit Apostolus, ‘Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos’ [1 Cor. iii. 17]. Unde iste dicit, ‘Sedes autem gloriæ exaltata est, sanctificatio nostra’ [Jerem. xvii. 12]. Propter hos enim motus parvulorum, qui possunt seduci ab hominibus, *manifestationem claritatis Ecclesiæ* Dominus quoque prævidens, ait, ‘Non potest civitas abscondi supra montem constituta’ [Matth v. 15] : quia utique sedes gloriæ exaltata est sanctificatio nostra, ut non audiantur illi qui ad religionum scissuras traducunt, dicentes, Ecce hic est Christus, ecce illic. Partes enim ostendunt, di-

centes, Ecce hic, ecce illic. Cum illa civitas super montem sit : quem montem, nisi eum qui secundum prophetiam Danielis ex parvo lapide crevit et factus est mons magnus, ita ut impleret universam terram ? Nec illi audiantur, qui sub nomine quasi secretæ et apocryphiæ veritatis et hominum paucitatis dicunt, Ecce in cubiculis, ecce in deserto : quia *non potest abscondi* civitas super montem constituta, quia sedes gloriæ exaltata est sanctificatio nostra.” — *Idem*, contra Faustum, L. 13, C. 13 (tom. viii., pag. 185).

(xxiii.) “Nulla est igitur securitas unitatis, nisi promissis Dei Ecclesia declarata, quæ super montem, ut dictum est, constituta *abscondi non potest*: et ideo *necesse est ut omnibus terrarum partibus nota siti*—*Idem*, contra Epistolam Parmeniani, L. 3, n. 28 (tom. ix., pag. 50).

(xxiv.) “‘In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum’ [Psalm, xviii.]. Hinc fit, ut Ecclesia vera *neminem lateat*. Unde est illud quod in Evangelio ipse dicit, ‘Non potest civitas abscondi super montem constituta.’ Ideoque in eodem Psalmo connectitur, ‘In sole posuit tabernaculum suum,’ id est, in *manifestatione!*—*Idem*, contra Litteras Petiliani, L. 2, n. 74 (*ibid.* pag. 162, 163).

(xxv.) “Non estis in montibus Sion ; quia non estis in civitate super montem constituta, quæ certum signum hoc habet, quod *abscondi non potest*. *Nota est ergo omnibus gentibus, pars autem Donati ignota est pluribus gentibus : non est ergo ipsa!*—*Idem*, contra easdem (*ibid.* pag. 199).

(xxvi.) “Non est obscura quæstio in qua vos fallant, quos ipse Dominus prædixit futuros atque dicturos, ‘Ecce hic est Christus, ecce illic : ecce in deserto,’ quasi ubi non

est frequentia multitudinis : ‘ ecce in cubiculis,’ quasi in secretis traditionibus atque doctrinis. Habetis Ecclesiam ubique diffundi, et crescere usque ad inesse. Habetis civitatem, de qua ipse qui eam condidit ait, ‘ Non potest civitas abscondi super montem constituta.’ Ipsa est ergo quæ non in aliqua parte terrarum, sed *ubique notissima est.*—*Idem*, contra Donatistas, de Unitate Ecclesiæ, n. 72 (*ibid.* pag. 261).

(xxvii.) “Cum intelligibilem Judæam vel Jerusalem hoc est Ecclesiam, sibi ipse repræsentaret ac sisteret [Isaias], virginem castam non rugam aut ejusmodi quidpiam habentem, sed potius sanctam et immaculatam, uti scriptum est. De ea vero dicit, ‘ Quia erit in extremis diebus spectabilis mons Domini, et domus Dei Jacob super editis montibus.’ Legitur quidem Sion illa Judæorum in monte sita et ædificata ; intelligi tamen potest hic non crasse et sensibiliter [vid. supra, n. 10, et infra, n. 167], at spiritualité!· Ecclesia, quæ etiam monti comparatur. Etenim vere est *excelsa et illustris, et omnibus ubique notissima* [*αΧηθω νφηΧη και περιόπτο , και γνωριμωτατη τοι άπανταχον*]. Aliter etiam excelsa est, quoniam terreni nihil sapit, at supra res terrenas est, et gloriam Dei, quatenus licet, animi oculis intuetur, et sublimibus admodum de Deo opinionibus gloriatur. Græcorum enim eruditi, etiamsi sapientiæ nomine valde supercilium tollerent : creaturæ tamen divinitatem affingunt, &c. . . . At Sion intelligibilis, Ecclesia scilicet, supra omnem creaturam et aspectabilem et inaspectabili evolat, et ultra ipsam adeo universitatis naturam pertingit, *luce enilll divina plena est* [*φωτό γαρ του θειου μεμεστωται*], illamque agnoscit opificem artificemque universorum, illi atque adeo soli potentiam in omnia tribuit, et ejusmodi

gloria universorum Regem præpotentem ue Dominum coronat. Hinc igitur mons intelligibilis Domus Dei jure dici possit. Et est *illustris* [δίαφα^v], utpote supra colles elevata. De illa vero istud merito quis dixerit, quod illustris exempli loco Salvatoris voce dictum est: ‘Non potest civitas abscondi supra montem posita.’ Sunt vero plura alia quæ facillime colligi possent, unde videre est in Scripturis divinitus inspiratis, Jerusalem intelligibilis apicem, id est, Ecclesiæ celsitudinem [το ὄψον], collibus et montibus comparari.”—S. Cyrilus Alexandrinus, Commentar, in Isaiam, L. 1, Orat. 2; in Isai. ii. 2, 3 (torn, iii., pag. 35, 3G).

(xxviii.) “Sanctum montem dicit [Christus per Isaiam] Ecclesiam, propterea quod in alto gloriæ fastigio collocata sit [αα το ὑψου reOtiaOui το ye ηκον eis Eoξαρ], et propter dogmatum in ea sublimitatem.” — *Idem*, in Isai. T. 1; in Isai. xi. 6, 9 (*ibid.*, pag. 201).

(xxix.) “‘Excelsa enim et ‘specula’ Sion, ‘visio’ autem ‘pacis’ Jerusalem exponitur. Est autem utrumque hoc vere, Christi Ecclesia: *celsa* nempe et *illustris* —περιοτΓτο], et velut in monte posita.” — *Idem*, in

Hos textus coihmeitariis illustrare nihil aliud esset quam, ut ait quidam, aurum purum inaurare et lilio colores inducere: vix enim affirmari posset ipsam visibilitatem Ecclesiæ clariorem esse, quam sit sensus horum SS. Patrum hanc visibilitatem ut dogma Ecclesiæ certum et manifestum prædicantium. Splendorem et gloriam Ecclesiæ in toto orbe omnibus manifestam, notam, notissimam prædicantes, de luce et gloria divina sola loquuntur, de Ecclesia vera sola loquuntur; loquuntur ergo de visibilitate Ecclesiæ vera», *ut veræ*.

Sectio Tertia SOLVUNTUR OBJECTIONES.

§ 1. Objectiones contra Argumenta.

60. Quædam ex his objectionibus jam, in ipsis argumentis explicandis, solutæ sunt: sed aliæ manent solvendæ. Sit igitur—

Object. I. Contra Argumentum, n. 29, ex Isai. ii. et Mich. iv. Hos textus intelligi debere de futura Gentis Judaicæ elatione in imperium universale (n. 32, 2\)) probat initium prophetiæ:—“Verbum quod vidit Isaias filius Amos, *super Juda et Jerusalem.*” vers. 1. M'Neille, Pag. 299; Keith, Pæfat., pag. 55.

Gl. *Resp. I.* Jam ostendi prophetiam non posse ita intelligi, n. 3G. II. z\ d probationem, Dieting. Verbum quod vidit Isaias super Juda et Jerusalem, ut typis Ecclesiæ Christi, et ut in eam transmutandis: Cone. : in se ipsis: Nego: vid. n. 38, et 1). 4, n. 21-24.

62. *Object. II.* Contra idem Argumentum. Ecclesia elevanda super colles illa eadem est, quæ ut ager aranda erat, et quasi acervus lapidum futura erat (Mich. iii. 12), claudicans, ejecta, afflicta (ibid. iv. 7). Atqui Ecclesia Christi ad tantam miseriam non erat deprimenda. M'Neille, pag. 303, &c.

63. *Resp. I.* Diet. Major. Erat hæc eadem in suo typo, et in suo statu preparatorio, dum adhuc non erat nisi inchoatio et umbra illius quæ, post suam in Christo perfectionem adeptam, evasura erat: Cone. : Erat hæc eadem Ecclesia Judaica spectata ut permanens mere eadem post Christum et deinceps: Nego: vide loca supra indicata, n. Gl. *Resp. II.* Simili modo Dist. Min. Ecclesia Christi in se, et in suo perfectiori statu, post Chris-

tum, non erat ad tantam miseriam deprimenda : Cone. : In suo typo et statu rudi et inchoato, ante Christum : Nego.

64. *Object.* III. Contra id Argum. Post vers. 2 et 3 Isai. ii., unde argumentum pro visibilitate Ecclesiæ eductum est, hæc verba statim occurrunt, vers. 4 :— “Et judicabit Gentes et arguet populos multos : et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.” Hæc verba, quæ affirmantur de ipsa eadem societate quæ vocatur “Mons Domini in vertice montium,” &c., non implentur in Ecclesia. Ergo hæc prophetia non est intelligenda de Ecclesia.

C5. Multiplex est objectorum verborum interpretatio. I. Quidam ea restringunt ad illos qui vere ambulant in viis Domini. Spiritus enim religionis est spiritus pacis, et qui secundum eum vivunt in pace vivunt. In his ergo prophetia ad literam implenda erat, in aliis non. Quantum est ex Evangelio pax erit, et ubi discordiæ et bella prævaluerint, hoc ex eo orietur quod Evangelio non obtemperatur, sed efficaciam ejus hominum passiones resistunt. Quod quidem ut simplex effatum verissimum est, quatenus vero affertur ut hujus textus interpretatio—etsi quoad rem intellecta, nisi quod non sit satis plena, cum nostra infra ponenda (n. 71, &c.) consonet—attamen eo modo proposita non perfecte placet. Quia plane absoluta est prophetia, et non tantum vim et efficaciam Evangelii ad pacem gignendam, sed et ipsum effectum, ipsam pacem actualem futuram significat : imo effectum directe et diserte affirmat, vim vero Evangelii ad effectum producendum non nisi implicite et præsuppositive. Hæc autem interpretatio, etsi non neget effec-

tum nec faciat promissionem, nisi quoad formam, conditionalcm—pro certo enim habent ejus patroni multos semper in semitis Dei ambulaturos—sternit tamen viam acatholicis qui tenent promissiones factas Ecclesiae, si non omnes, saltem eas de unitate, infallibilitate, &c. &c., esse conditionales, et, sicut promissiones temporalis felicitatis populo Judaico factas, implendas vel non implendas fore, prout populus Christianus bene vel male se gesserit.

2. Quia promissio toti Ecclesiae, ut toti, facta est, et respicit gentes et populos, ut sicr Quod constat ex verbis ipsius textus :—“*Judicabit Gentes——populos multos—non levabit gens contra gentem.*”

66. II. Alii interpretantur textum de pace quæ per orbem universum, tempore ortus Christi, regnabat. Sed ut bene annotat A Lapide, huic interpretationi obstant tum quod per verba “nec ultra” non pax diuturna sed æterna hic promittitur, tum quod hæc pax post Christum prædicanteni et post Ecclesiam fundatam et propagatam eventura erat.

67. III. Tertia est interpretatio S. Cyrilli (ap. cund. A Lapide) in Lege Nova bella non esse tot nec tanta. Et hæc sicut et prima cum interpretatione jam danda (n. 71) non est, quoad substantiam, dissentanea. Ante vero prolatam interpretationem quæ nobis omnino germana et vera videtur, quædam notanda sunt.

T>

68. Notandum I. In prophetiis Isaiaæ, sicut et ceterorum Prophetarum, maxime vero Isaiaæ, qui majestate verborum et imaginum illis antecellit, præsertim cum de Christo aut Ecclesia loquitur, tropi et figuræ quæ ad objectum magis illustrandum et vehementius menti imprimendum adhibentur non sunt semper ad vivum et ad literam ur'endæ, sed ex variis adjunctis interpretandæ.

Sic cum Isaias, prædicens destructionem Babylonis, in hæc grandia et terribilia erumpit :—“ Ecce dies Domini veniet, crudelis et indignationis plenus, et iræ furorisque ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam stellæ cæli, et splendor earum, non expandent lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo . . . Super hoc cælum turbabo : et movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris ejus:” xiii. 9, 10, 13. Ut vera sit descriptio hæc, imagines illæ solis obtenebrati, &c. in vastatione et ruina quadam latissima, tristissima, gravissima expleri debent. Hoc quidem vividissime depingunt ; sed nihil amplius significant, nec solem vere obtenebrandum fore, nec terram de loco suo vere movendam, &c. Orientalibus, etiam qui prosa oratione utuntur, ut omnes norunt, solemne est hoc genere sermonis scribere, præsertim cum rem ob oculos insignite et ita ut affectus animi moveat ponere intendunt. Etiam apud Homerum hujusmodi generis dicendi exempla occurrunt. Theoclymenus vates exitium procis imminens sic minitatur—

*Εὐώλων τε πλέον πρυθνον, πλειη τε και αυλή
Ιεμενων Κρεβοσεε ὑπο ζοφον ηελιοσῦε
Ουρανόν εξαπολωλε, κακή δ' επιῖερομεν ἄχλυν.*

Odyss. χχ. 355, &c.

69. Notandum IL Prophetæ haud raro res terrenas describentes intelligi volunt res spirituales, ut cum per

* Umbris vero plenum vestibulum, plena vero et aula Euntium ad Orcum sub tenebras ; sol autem Ex cælo periit, mala autem incessit caligo.”—Didy u u s.

copiam auri et argenti et lapidum pretiosorum significant ubertatem bonorum spiritualium. Sic Isaias de Ecclesia Christi :—“ Laetabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans : gloria Libani data est ei : decor Carmeli, et Saron, ipsi videbunt gloriam Domini,” &c.: xxxv. 1, &c.; “Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in saphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua,” &c. : liv., et alibi sæpe, præsertim xi. 6, &c. Similiter et in Apocalypsi descriptiones gloriæ et beatitudinis caeli (iv. etxxi.) sunt, si non in omnibus saltem in plerisque, metaphoricæ ; prout de eadem Apocalypsi generatim observat Wouters :—“Observandum est etiam pleraque in Apocalypsi non esse intelligenda in sensu literali proprio, sed in figurato seu metaphorico ; verba enim quibus varias figuras Joannes describit, et quas in suis visionibus vidit, non significant id ad quod significandum primario sunt instituta, sed id ad quod Spiritus Sanctus, qui verba illa dictavit, ea transtulit.....Aliquando hic sensus metaphoricus exponitur, v. g. i. 20, ubi dicitur : ‘ Candelabra septem, septem ecclesiae sunt:’” Dilucid. in Apocal. Q. Proæm. 4.

70. Notandum III. Propositiones quoad formam in uno loco universales, per ea quæ in aliis locis hanc extensionem restringunt, interpretandæ sunt. Et hic canon non tantum de prophetiis—etsi de iis maxime—verus est, sed de tota Scriptura, et etiam de quovis libro sive sacro sive profano. Sic cum dicitur, “Fili, obedite parentibus per omnia” (Coloss. iii. 20), intelligitur omnia *licita* ; quæ limitatio ex innumeris locis Scrip-

F. I. I

>C*V

I J
rti

tune colligitur, et huic ipsi præcepto diserte apponitur (Ephes, vi. 1):—"Filii, obedite parentibus vestris, *in Domino.*" Sic etiam cum dicitur, "Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est" (1 Joann, v. 1), intelligitur, ex aliis mille locis, qui *credit Jideformata*. Non est opus rei tam clarae plura exempla congerere.

71. His positis, nunc ad veram interpretationem textus Isaiaë (n. 64) exponendam accedimus. Dico L, prædictionem in isto textu factam limitari ad gentes conversas, i. e. ad Ecclesiam ipsam. Efficacia enim Evangelii, etsi aliquatenus ad omnes extenditur, quia omnibus datur gratia, attamen non nisi in fidelibus aut per fideles effective ostenditur.

72. Dico IL, duo, præter alia, secum allaturum fuisse et attulisse Evangelium. *Primo*, et primario et præcipue, attulit et per corda hominum late diffudit pacem illam supernaturalem quæ est fructus gratiæ et charitatis qua diligitur Deus super omnia et proximus propter Deum. Hæc est "Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum Philipp, iv. 7. Hæc est pax quam Christus reliquit Apostolis :—"Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis Joann, xiv. 27 ; "Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum Ibid. xvi. 33. Hæc est pax de qua scribit Psalmista :—"Pax multa diligentibus legem tuam." (Psalm, cxviii. 165): et de qua ipse Isaias, xlvi. 22:—"Non est pax impiis, dicit Dominus." *Secundo*, pax illa non debuit latitare, sed, sicut alia charismata Ecclesiæ collata, se exterius manifestare, et fructus edere externos. Et ita se profecto in Ecclesia Christi res semper habuit,

habet, habebitque. Quot enim et quanta sunt opera misericordiæ, benevolentia, charitatis fraternæ omnigenæ, quæ quotidie et ubique, per clericos et religiosos utriusque sexus et laicos omnis conditionis, in universa Ecclesia fiunt: et quibus nil simile apud Gentes unquam visum est—apud Gentes “insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia Rom. i. 33! Quot vindictæ extinctæ aut etiam in amorem conversæ! Quot odia, quot rixæ, quot turbæ, quot contentiones, quot dimicationes sanguinolentæ, quot bella civilia, quot bella nationum inter se vel impediuntur, vel citius finiuntur, vel in suis circumstantiis crudelioribus et funestioribus tantum emolliuntur! Hæc omnia et alia eodem tendentia per singula etiam pressius describere ingens impleret volumen. Vid. nostrum commentai'. Anglic. “Ratio et Fides,” η. 65-73.

73. Dico III., in hac pace interna et externa Ecclesiæ Christi hunc textum propheticum Isaia, ii. 4, vere et proprie impleri. Hanc interpretationem legitimam esse nil vetat, probabilem esse multa suadent, certam esse multa demonstrant.

74. *Primo*, legitimam esse nil vetat. I. Non vetat universalitas verborum, si hæc universalitas alibi dictis temperetur (n. 70): illam vero ita temperari infra videbitur. II. Non vis imaginum tam gravis aut stylus nervosus. Verba enim, “Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces,” facile intelligi possunt tropice, ad significandam pacem magnam. Sive tropice sive ad literam intelligantur, nostræ interpretationi apprimè quadrant. Sola difficultas est ex verbis quæ sequuntur:—“Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.” Sed 1°, nihil obstat

.:? λ'



quin pax supernaturalis cum suis fructibus sub typo pacis temporalis intelligatur (n. 69) : et sic, verbis allegorice acceptis, omnis evanescit difficultas—maxime si attendatur, *primo*, hæc verba non magis esse nimis potentia ad significandam tantum pacem magnam, quam verba Cap. xiii. (n. 68) sunt nimis potentia ad significandam Babylonis ruinam, etiam totalem et perpetuam ; et si attendatur, *secundo*, pacem supernaturalem, qualis de facto semper existât in Ecclesia Christi, pretio et felicitate vera, infinite superare pacem quamcunque pure civilem et mundanam etiam universalissimam et imperturbatissimam : adeo ut nullus typus pacis et concordiae mere humanæ possit eam nisi umbratiler et obscurissime repræsentare ; sicut gloria quævis materialis non nisi eodem modo possit gloriam supernaturalem repræsentare. 2'. Pax de qua in Isa. ii. 4, non magis vivide et potenter describitur ut summa et universalis, quam pax de qua Isa. xi. 6-10:—“Egredietur virga de radice Jesse Habitabit lupo cum agno : et pardus cum hædo accubabit : vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum : et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis : et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident *in universo monte sancto meo*: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis.” Illum sub quo hæc fiunt esse Christum diserte testatur Scriptura, Act. xiii. 23 ; Rom. xv. 12, et ex ipsis verbis hujus capituli tam clare patet, quod, ut ait Henderson, “de applicatione hujus prophetiæ ad Messiam, major habetur consensus interpretum [sciz. acatholicorum] quam quoad fere quamvis

aliam.”* Hæc est ergo descriptio pacis in regno Christi, seu Ecclesia; et quidem inulto vividior eâ quæ in loco objecto (Isai. ii. 4) habetur. Nihil ergo obstat quominus hic locus de Ecclesia intelligatur. Ergo, primo, hic textus *potest* intelligi de Ecclesia Christi; et hoc sufficit ad solvendam Objectionem (n. 64). Sed—

75. *Secundo*, hæc interpretatio est valde probabilis. I. Quoniam versiculus hic bene potest de Ecclesia intelligi, et quoniam est manifeste continuatio præcedentium, qui, ex probatis, de Ecclesia necessario intelligi debent, ergo et ipse de Ecclesia intelligi debet. II. Pax illa eximia quæ hic, etsi paucis, tam vivide depingitur, ubique in aliis prophetiis, quæ extra omne dubium de Christo et Ecclesia ejus intelligendæ sunt, exhibetur ut attributum insigne et speciale illius Ecclesiæ, vel directe et in se, vel indirecte in Christo Capite ejus :—“ Orietur in diebus ejus justitia et *abundantia pacis*:’ Psalm. Ixxi. 7; “Et erit *opus justitiæ pax*, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum. Et *sedebit populus meus in pulchritudine pacis*, et in tabernaculis fiducia, et in *reque opulenta*:” Isai. xxxii. 17, 18; “Et ponam universos filios tuos doctos a Domino, et *multitudinem pacis filiis tuis*:” Ibid. liv. 13; “Et faciam cum iis *pactum pacis*, et cessare faciam bestias pessimas de terra: et qui habitant in deserto, *securi dormient* in saltibus Ezech. xxxiv. 25; “Ecce rex tuus veniet et *dissipabitur arcus belli: et loquetur pacem Gentibus*:” Zachar. ix. 10. ’ His adjiciatur textus Isai. xi. 6-10, supra, n. 74,

* “ With respect to the application of this prophecy to the Messiah, a greater degree of unanimity obtains among interpreters than in reference to almost any other.”—Page 102.

allatus ; quibus plures alii similes addi possent. Nonne candido lectori statim apertum erit his esse annumeratum et textum Isai. ii. 4, et omnes in idem plane collimare ?

76. *Tertio*, hæc interpretatio est omnino certa. Est certa, si certo falsa est sententia quæ dicit prophetiam (vers. 4) adhuc esse in toto implendam. Si enim adhuc non in toto implenda, sed jam quoad tempus præteritum impleta sit, et quotidie impleatur, et implebitur, certo non nisi in Ecclesia Dei impletur. Atqui non est in toto implenda. Sola enim ratio hoc dicendi est quod, ad eam implendam, debeat venire tempus, in quo omnes gentes, saltem conversæ, vivent in pace perfecta et perpetua ; quale tempus nullomodo adhuc venit. Sed tale tempus venturum esse aperte contradicit Scripturæ. L Ubique in N. Testamento, absque ulla temporis limitatione, et sorte, quasi nota, sibi propria et perpetua, Ecclesia exhibetur ut acerrime oppugnata ; oppugnata a portis inferi, a diabolo, a mundo, a carne et sanguine ; oppugnata a schismaticis et hæreticis et falsis fratribus ; gladio petita, calumniis et mendaciis petita, telis igneis hostium implacabilium omnigenis petita ; undique oppugnata, semper oppugnata ; re sicut et nomine, et quidem nomine quia re, semper Ecclesia Militans ; victrix quidem in eo qui eam confortat, adjutorium habens in nomine Domini, a pressuris inimicorum non liberanda, sed contra eas roborata, cui, sicut et magno Apostolo, sufficit gratia Domini (vid. I). 6, n. 159, &c.). Non alia pax ei promittitur nisi pax Dei (de qua n. 72) ; non alia requies prater eam quæ in patria habebitur, in via speratur :—
“ Beati mortui qui in Domino moriuntur : Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis Apoc.

xiv. 13. Deinde IL, quale est exemplar magnum et æternum justorum et perfectorum omnium usque in finem mundi, et cui quo quis propius accedit eo justior et perfectior est? Christus humiliatus, Christus bajulans crucem, Christus patiens, Christus crucifixus, hic est exemplar. Vivere commixti malis et membris diaboli, persecutionem et maledictionem pati propter justitiam, uno verbo Christi crucem in omnibus ferre, hæc est vita et via trita, via regia justorum et præsertim perfectorum, usque in consummationem seculi.

77. Talem esse conditionem Ecclesiæ perpetuam ; talem esse prototypum omnibus justis ad finem mundi propositum ; talem esse perpetuo vitam justorum, ex Scriptura planum est :—“Pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis.....Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur.....In mundo pressuram habebitis Joann, xiv. 27 ; xv. 20 ; xvi. 33 ; “Necesse est enim ut veniant scandala.....Sinite utraque [triticum et zizania] crescere usque ad messem.....Mensis vero consummatio seculi est Matth. xviii. 7, 30, 39 ; “Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.....Qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus Luc. ix. 23 ; xiv. 27 ; “Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi ; si tamen compatimur, ut et conglorificemur Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui [i. e. in patientia, tribulationibus”], &c. : Rom. viii. 17, 29 ; “Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo Galat. vi. 14 ; “Beati estis cum maledixerint vobis, et

persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos Matth. v. 11 ; “ Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur:” 2 Tim. iii. 12. His alia innumera addi possent. Sed hæc omnia nullo modo conciliari possunt cum idea regni pacis externa?, universalis, perfectæ et perpetuæ.

78. Neque contra nostram interpretationem dicatur, nos nimium extollere pacem illam spiritualem, et quasi totum objectum prophétisè in quodam interno collocare.

79. *Resp.* Nos non nimium extollimus pacem quam Christus ipse et Apostoli tantum extulere ; et in cujus comparatione pax quævis alia vapor est et fumus et umbra quæ præterit quasi non esset. Nec totam hanc prophetiam de pace ad pacem internam coarctamus. E contrario, pacem externam nominatim includimus, ut illius fructum eo pretiosorem, eo magis immarcescibilem et perdurantem quo ex tam sacra radice pullulet crescatque. Aliud est internum, aliud spirituale (sensu quo ea vox hic usurpatur), quod et externum et sensibile sicut et internum esse potest : vid. infra n. 143, et seqq.

80. *Object.* IV. contra idem Argum. Si textus Isai. ii. 2-5 de Ecclesia interpretandus est, de eadem interpretandi sunt vers. 12-19. Atqui hi de Ecclesia intelligi non possunt : evidens enim est eos adhuc non impleri. Ita Auctor libri “ Ecclesia inter media secula” [“The Church in the Middle Ages”], pag. 5.

81. *Resp.* I. Negari potest, forsitan debet Major ; et certe negari debet id quod in ea supponitur, sciz., eandem materiam seu objectum prophetiæ posse supponi continuatum per textus sequentes, absque ullo argumento quo hoc ostendatur. *Resp.* II. Dist Min. Non impleti

sunt, si singula verba sumantur ad literam, quo sensu ea sum! non intendebat Propheta : Cone. : Si verba “ Super omnes cedros Libani,” &c., 12-19, sumantur symbolice et metaphoricè : Nego. Et revera hæc verba metaphoricè sumenda esse vix ullus interpres doctus, ut puto, negat. Ita Low t ii, H e n d e r s o n, qui dicit “ totum hunc locum esse maxime figuratum.”*

82. *Object.* V. Contra argumentum, n. 41, 2°, quo ex Galat. iv. 26, 27, probatur Isai. liv. (n. 40) intelligi debere de Ecclesia Christi. Equidem hæc prophetia de Ecclesia Christi intelligenda est, sed non qualis adhuc extitit et jam existit, sed qualis extitura sit in fine mundi, cum reliquiae Judaeorum, seu Judaei tunc existentes, conversi fuerint et, cum Gentibus fidelibus, sub Christo Rege, in gaudio et gloria vivent. Regnum seu Ecclesia Christi prout tunc florebit illa ipsa est caelestis Jerusalem (de qua S. Paulus, vers. 26), prout opponitur veteri Jerusalem sterili et derelictæ. Ita Ke i t h, et alii acatholici.

83. *Resp.* Ista interpretatione apertissime depravatur sensus Apostoli, qui verba Isaiaë, non de Ecclesia in fine mundi, sed de Ecclesia etiam tunc existente et quovis tempore existente, plane interpretatur. I. Statim post ista verba Isaiaë citata, dicit, “ *Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus*” (vers. 28); clare, per hæc, omnes Christianos significans, et explicite omnes Christianos tunc existentes, ut nimis evidens est ex verbis *nos, fratres, sumus*. In illis vero Christianis—sciz., qui vivebant tempore S. Pauli et deinceps in per-

* “ The whole passage in the prophet is in the highest degree figurative.”

petuum—impleri prophetiam, constat 1°, ex eo quod hic vers. 28 *statim* subjungitur versiculo 27, in qua citatur prophetia : 2°, ex eo quod nexus versiculi 28 cum versiculo 27 diserte indicatur per particulam *autem*, “Nos autem,” &c., quasi dixisset Apostolus, “Talem et talem edidit Isaias prophetiam (vers. 27): in nobis autem ista prophetia impletur (vers. 28).” 3°. Cælestis Jerusalem (vers. 26), ea est Ecclesia de qua S. Paulus interpretatur verba Isaiaë : quod omnes, ut. puto, concedunt, et patet ex vocabulo *enim*, initio vers. 27, quo nectitur hic Vers, cum præcedenti :—“Scriptum est enim : Lætare, sterilis,” &c. Sed illa cælestis Jerusalem (vers. 26) non est Ecclesia quædam adhuc futura, sed Ecclesia quæ existit ipso tempore S. Pauli. Est enim illa ipsa Ecclesia cujus erant filii S. Paulus et ceteri Christiani, prout ipse diserte dicit :—“quæ est mater nostra.” II. Ex scopo et argumento Apostoli, qui hic totus est in revocando Galatas a frequentatione rituum quorundam Judaicorum ad quos declinaverant :—“Dies observatis, et menses, et tempora, et annos,” vers. 10. Ad istam superstitionem eradicandam docet Legem veterem extinctam esse, Judæos rejectos, et Christianos a vinculo Legis liberos ; quod argumento allegorico ex duobus filiis Abrahæ educto confirmat—quorum filiorum unus (Isaac) figurabat Christianos, alter vero (Ismael) Judæos ; prout et mater prioris (Sara), figurabat Novum Testamentum seu Ecclesiam, mater alterius (Agar), figurabat Vetus Testamentum seu Ecclesiam. Dicit, sicut filius Agari ejectus est, ita et Legem Veterem extinctam esse ; et sic concludit argumentum : “Sed <piid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus ; non enim haeres erit filius ancillae, cum filio liberae. *Itaque* [conclusionem educens],

fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ,” vers. 30, 31. In medio hujus argumenti textum Isaiaë introducit. Jamvero si textus ille non Ecclesiam tunc, imo et omni ævo, existentem, sed Ecclesiam in fine mundi respiceret, non solum omnino impertinens ad argumentum Apostoli esset, sed illud argumentum everteret. Reponi enim potuit a Galatis, “Non adhuc existit illa cælestis Jerusalem, seu Ecclesia, quæ libera est : ergo nos non adhuc liberi sumus a Lege.” III. Ex concessis plurium Interpretum Protestantorum, qui docent S. Paulum applicare locum Isaiaë Ecclesiae existent! : Rosenmüller, Bengel, Bloomfield, Henderson, &c.

84. *Object.* VI. : contra Argum, ex Isai. lx. et Ixii., n. 42 et 46 ; vide et n. 33, 37. Objectum præcipuum prophetiarum Isaiaë, a duobus ultimis versiculis Cap. lix. usque ad Cap. Ixvi. seu finem totius libri, est conversio futura populi Judaici, ejusdem restauratio et in patriam antiquam reditus, ubi, cum ceteris Ecclesiae partibus seu Gentibus fidelibus conjunctus et ab iis exornatus, felicitate et gloria summa, seu Millennio et sacro quodam aureo seculo, in pace gaudebunt. Henderson, Keith (qui materiam hujus prophetiae ponit in “ felici statu nationis [Judaicæ] restitutæ et conversæ, non ut Ecclesiae sed ut nationis,”*) et alii multi Protestantes.

85. Sententia quæ, nixa præcipue verbis S. Pauli, Rom. xi. 25, 26, docet magnam Judaeorum multitudinem in fine mundi convertendam esse, verisimilis est, et graves habet auctores. Longe vero aliud est somnium istud

* “ The blissful condition of the nation when restored and converted, and that not in their character as a Church, but as a nation.”

de Millennio futuro, quod incredibile est quam commune et populare sit inter Protestantes hodiernos harum regionum, quorum quidam, ut vidimus, ad suum figmentum propugnandum Scripturæ textus in sensus prorsus alienos detorquent. Conspectus, seu idea generalis et quoad substantiam, Millennia, prout eam dant varii Protestantes, hæc est. 1. Omnes aut saltem plerique Judæi, adveniente isto ævo aureo viventes, ad fidem Christi convertentur. 2. Hi Judæi conversi e variis terræ regionibus in Judæam, divina disponente Providentia, iterum congregabuntur, iterumque nationem distinctam et independentem, qualis fuit antiqua gens Judaica v. g. tempore Salomonis, efficient. 3. Hæc natio gloria temporali, in copia et splendore divitiarum et quæ per eas comparantur, circumdabitur, et imperio summo potietur; ita ut undique populi et reges munera aurea, argentea, &c., ad eam ditandam et magnificandam afferent, eamque reverentia et laudibus demisse colent. Et hoc modo multi Protestantes Isaïæ lx. et seqq. interpretantur de gente Judaica, non ut post suam conversionem spiritualiter felici, aut saltem non ut tali solum aut maxime, sed ut materialiter felici, gloriosa, dominatrici. His ut clarius intelligatur objectio expositis, nunc ad eam—

86. *Resp.* Primo, Millennium istud non exigunt verba aut tenor aut scopus prophetiæ: Secundo, repugnat verbis et sensui prophetiæ: Tertio, repugnat aliis Scripturis et signate doctrinæ Novi Testamenti.

87. *Primo*, Millenium istud non exigunt I. verba prophetiæ. Id enim exigerent tantum quatenus animalia ista et res pretiosæ quæ ad Jerusalem erant afferendæ (vers. 6, 7, 9, 13, &c.), et opera et utilitates ei a peregrinis præstandæ (vers. 10, 14. &c.), debent ad literam et

sensu materiali et carnali intelligi, non autem sensu spiritali. Atqui ista sensu materiali esse *necessario* intelligenda aperte repugnat Canon, n. 6J, allato, et ab omnibus, ut puto, adversariis admissio. Sive enim admitterent exemplum ex Isai. xxxv. ibi datum, necne (de exemplo enim ex Isai. liv. nemo dubitare potest, vid. n. 41 et 83), ipsum Canonem respicere non possunt, quin in errorem illum exitialem Judaeorum incidant, qui prophetias de persona, adventu et regno Messiae crasse et carnaliter interpretantes, eum ut regem potentissimum temporalem venturum fore expectabant. Non sequitur ergo ex eo quod Isaias hic verbis utitur quae res temporales significant, eum ideo non voluisse per haec verba res spirituales intelligi, seu, aliis verbis, eum non uti ista forma loquendi apud omnes usitatissima, quae Metaphora vocatur. Neque II. exigit tenor aut scopus prophetiae. Quis enim sit ille tenor et scopus illa ipsa quaestio est quae nos inter et adversarios hic controvertitur: neque qualis ab iis fingitur, absque manifesta petitione principii, supponi potest.

88. *Secundo*, Millennium istud repugnat verbis et sensui prophetiae. I. Gloria ista quae promittitur Jerusalem non est, ullo modo aut ulla ex parte, gloria mundana, qualem v. g. olim habuit Imperium Romanum, et hodie Imperium Gallicum aut Britannicum; sed est gloria omnino spiritualis et secundum Deum, sciz., gloria et lumen fidei et gratiae, et quaecunque ex iis fluunt. Quod patet 1°, ex dictis n. 44, ubi ostensum est, ex usu Scripturae, metaphoram *lucis* significare lucem supernaturalem. Patet *T*, ex ipsis verbis hujus prophetiae “ Et gloria *Domini* super te orta est Super te autem orietur *Dominus*, et gloria *ejus*, in te videbitur vers. 1, 2.

Certo gloria Dei et gloria quam impertitur non est gloria mundana, nec ut talis ullibi in Scriptura exhibetur, quæ ubique, præsertim in Novo Testamento et sub nova dispensatione, istam gloriam mundanam tanquam nihili faciendam declarat, et quod ex Deo et coram Deo gloriosum est in aliquo supernatural! omnino reponit, in fide acquirenda et conservanda, in virtutibus excolendis et vitiis extirpandis, &c. &c. Iterum, “Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et *laudem Domino annuntiantes*. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi: *offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo* :n vers. 6, 7. Manifestum est ex his verbis dona pretiosa et animalia a Gentibus afferenda, ad cultum Dei esse ordinata et aliquid religiosi omnino præ se ferre. Dona ex Saba deferuntur ad annuntiandam laudem Dei. Animalia ex Cedar et Nabaioth deferuntur in usum pure religiosum sciz. ut Deo in sacrificium immolentur : et quoniam, post Christum, non amplius in finem mundi offerentur sacrificia animalium, igitur hæc sacrificia sunt omnino typice intelligenda de cultu quodam Christiano, —de quali cultu definite, non est hujus loci inquirere. Denique domum majestatis suæ in his omnibus glorificabit Deus. Quæ omnia quantum aliquid pure religiosum et divinum sonant nimis clarum est. Iterum, sparsim per versiculos sequentes ea occurrunt vocabula quæ eandem ideam ingerunt perpetuo :—“ Ut adducam filios tuos de longe ; argentum eorum, et aurum eorum cuius eis *nomini Domini Dei tui, et sancto Israel [Israelis], quia glorificavit te*.....Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus, et pinus simul, ad ornandum *locum sanctificationis meæ* et vocabunt te *civitatem Domini, Sion*

sancti Israel et scies quia ego Dominus salvans te et redemptor tuus fortis Jacob erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam vers. 9, 13, 14, 16, 19. Hæc omnia nonnisi quæ omnino sacra sunt et divina significant.

Jamvero si sermo sit in hac prophetia de sola luce et gloria sacra et supernatural!, evidens est ei nullomodo convenire posse Millennium istud quod in gloria et felicitate mundana et summa et dominatione mundana et suprema, sive in toto sive partialiter, consistit.

89. II. Caligo et tenebræ quibus opertæ sunt Gentes, vers. 2, nihil aliud sunt quam tenebræ infidelitatis; et earundem egressus ex istis tenebris, vers. 3, &c., nihil aliud est quam earum conversio ad fidem veram, ut patet ex n. 44. Nec toleranda est glossa Hendersoni, secundum quam metaphora tenebrarum significat statum calamitatis et miseriarum (sciz. physicarum et naturalium, quibus, tempore demolitionis regni Antichristi, opprimuntur nationes terræ), et metaphora luminis significat statum prosperitatis et lætitiæ (sciz. physicæ et naturalis qua, eodem tempore, Dei gratia speciali, gaudebit populus Judaicus) * hæc enim interpretatio non solum nullum habet fundamentum ex usu Scripturæ quoad hæc vocabula, sed isti usui aperte contradicit, ut patet ex eodem n. 44.

90. Posito vers. 3, &c. interpretandos esse de conversione

* “By the images of light and darkness in these verses are [is] meant a state of trouble and distress on the one hand, and of prosperity and joy on the other. While the different nations shall be involved in the awful calamities connected with the overthrow of the Antichristian confederacy.....the peculiar favour of Jehovah shall be manifested towards the Jews.”

Gentium ad veram fidem, non possunt intelligi de conversione tempore Millenniumi aut circiter. 1°. Quia conversio Gentium ipso ævo Apostolico incepit, cito late diffusa est, usque ad præsentem diem indesinenter continuata usque ad finem mundi continuanda, et convertendis conversis et conversis conservatis ; ita ut si omnes infideles circiter tempus Millenniumi existentes usque ad unum converterentur, numerus eorum vere exiguus esset, et quasi manipulus, comparate ad numerum conversorum ab ævo Apostolico usque ad illud tempus. Non esset ergo tam insignis illa conversio ut exhiberetur, prout revera exhibetur, a Propheta tanquam *simpliciter* conversio Gentium. 2°. Non potest dici Gentes conversas ambulaturas in lumine ecclesiæ, multo minus nationis, Judæorum conversorum (“ in lumine *!!/<?*”), sed in lumine Ecclesiæ Christi simpliciter—nisi forsan Ecclesia Christi ad populum Judaicum coarctanda esset, et in eo solo consisteret ; quod nemo quem vidi adversariorum adhuc dicere ausus est. 3°. Ingens illa conversio Gentium tunc existentium fieri debet post conversionem Judæorum, et durante aut incipiente Millenniumo : ut patet ex eo quod, vers. 1, 2, Jerusalem exhibetur ut in lumine dum Gentes sunt in tenebris ; et deinde, vers. 3, &c., Gentes ad Jerusalem illuminatam convertuntur. Sed, secundum S. Paulum, non fiet conversio Judæorum donec conversæ fuerint omnes Gentes convertendæ :— “ Cæcitas ex parte contigit in Israel, *donec* plenitudo Gentium intraret Rom xi. 25.

91. III. Eodem modo interpretandus est hic locus quo alii loci paralleli interpretandi sunt, præsertim in hoc eodem libro Isaïæ, saltem nisi aliqua specialis ratio afferatur qua ostendatur singularem huic loco interpre-

tationem esse tribuendam. Vide locos parallelos n. 44, quibus addi debet Isai. ii. 2, 3 (η. 29), Ct xlii. 1-12, et xlix. :—“ Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ..... Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum et dedi te ut dices his qui vincti sunt : Exite ; et his qui in tenebris : Revelamini Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi,” &c. : vers. 6, 7, 9, 12. Hæc duo loca non de Millennio sed conversione Gentium ab initio Ecclesiæ intelligenda esse certum est, et admittit Henderson.

92. IV. Capita Isaiaë ab initio Cap. Ix. ad finem libri Millennium præcipue spectare tenent Millenarii. Sed sine dubio saltem initium Cap. Ixi. non ad Millennium sed ad adventum Messiaë referendum est. Christus enim ipse ita hunc locum diserte interpretatur :—“ Et traditus est illi liber Isaiaë prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro et sedit Coepit autem dicere ad illos : Quia *hodie* impleta est hæc scriptura in auribus vestris Luc. iv. 17-21.

ui

93. Hoc argumento pressus Henderson admittit initium hujus Cap. ad Messiam spectare, sed contendit sequentia, avers. 4, ad Millennium referenda esse. *Solum* quod affert argumentum educit ex vers. 4 :—“ Et ædificabunt deserta a sæculo, et ruinas antiquas erigent, et

instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem et generationem." Ruinæ et dissipationes sunt civitatum quæ olim incolebantur, et non possunt de mundo ethnico intelligi. Hæc ille, volens, quantum capio, significare *instauracionem* sciz. spiritualem non posse de ethnicis affirmari, utpote qui nunquam fuerunt erecti; sicut dici non potest viatorem redire ad locum ubi antea non fuit.

94. *Resp.* 1'. In cap. xlix. 8, occurrunt verba similia: —“Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres *luereditates dissipatas*.” Et tamen ipse Henderson, in loc., diserte affirmat ibi “per hereditates dissipatas non significari loca deserta in Judæa, sed loca deserta moralia in mundo ethnico.”^f 2'. Sed revera nostra interpretatio facilis et obvia est. Universum enim genus humanum in Adamo ad statum sanctitatis et justitiæ elevatum est, facti sunt omnes hæredes resui cadorum: in Adamo omnes ab illo exciderunt. A Christo omnes iterum ad statum justitiæ restaurantur et ad hereditatem —non omnes quidem actualiter, sed quantum est ex valore infinito satisfactionis Christi, qui pro omnibus mortuus est, et omnes salvari vult et vocat. Omnes omnino ex hereditate cælesti delapsi sunt; et omnes omnino, quantum est ex sincera voluntate et intentione Dei, ad hereditatem vocantur: neque jus quodvis ad eam spe-

* “These verses (4, 5) admit of no consistent interpretation, except on the principle that the Jews are to be restored to the land of their fathers. The ruins and desolations are those of cities that had once been inhabited; and cannot, without the utmost violence, be applied to the heathen world.”

f “By the desolate possessions are not meant waste places in Judæa, but the moral wastes in the Gentile world.”

cinle habent Judæi magis quam Gentes, prout late ostendit S. Paulus in Epist. ad Rom. Hinc vita omnium in hoc mundo vocatur *via*, et omnes *viatores* sumus, et cadum est *patria* omnium. Hinc vocatio et conversio Gentium ad fidem et sanctitatem, æque ac Judaeorum, est restauratio et reditus ad statum ex quo omnes ex æquo excidere. Civitates desertæ et dissipatæ ergo significant statum infidelitatis et peccati : civitates restauratæ significant statum fidei et gratiæ.

95. Si ea quæ in Cap. Ixi. respiciunt Ecclesiam, non de Millennio aut de Ecclesia tempore Millennii, sed de Ecclesia a tempore Christi et deinceps, interpretandæ sunt, et idem de Cap. Ixii. affirmandum est. “Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum Dicite filiæ Sion : Ecce salvator tuus venit ; ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. Et vocabunt eos, Populus sanctus, Redempti a Domino. Tu autem vocaberis, Quæsita civitas, et non Derelicta ters. 1, 2, 11, 12. Hæc non de Millennio aut de conversione et restauratione Judaeorum adveniente aut durante Millennio, sed de Christo et Ecclesia ab ipso ejusdem exordio, intelligenda sunt. 1°. Secundum versionem nostram Vulgatam, dubium esse non potest quod *justus* ille et *salvator* et *inclytus* sit Messias ; et cum sermo est de ejus adventu et manifestatione Gentibus (“donec egrediatur et videbunt gentes,”) planum est significari adventum ejus primum et conversionem Gentium, i. e. Ecclesiam qualis fuit ab initio. Sed. etiam admissa lectione Hebraica et versione Septuag. (in quo, loco *justi*, *salvatoris*, *inclyti* habetur; us-

1

1>..

*->3

* ,Ex.

i b

->hi

H

titia, salus, gloria), optime de Messia intelligi potest: nomina enim abstracta pro concretis ponuntur, quo nihil frequentius in usu loquendi: et quidem non nisi per Messiam habetur justitia, salus, gloria divina (“in manu Domini, in manu Dei tui”), ut ait Apostolus, “In Christo Jesu, qui tactus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio 1 Cor. i. 30. Sed quod ita intelligi debeant patet 2°, ex vers. 11 (“Ecce Salvator,” &c.), ubi manifesto de adventu Messiae sermo est. Si autem de adventu Messiae, de eo sane adventu hæc verba sunt intelligenda, qui simpliciter adventus Messiae est et ubique vocatur sciz. primus adventus; nec debent ad istum secundum adventum, seu potius manifestationem specialis providentiæ quoad Judæos in fine mundi, restringi aut detorqueri, nisi aliquid in contextu inveniatur ad hoc significandum. Sed nihil est quo hoc significetur aut minimum insinuetur. Imo 3°, parallelus est hic locus cum alio xl. 5, 9, 10, ut admittit Henderson, quem locum fere omnes, ut puto, tenent esse de Messia, et ex vers. 3, et aliis patet: — “Et revelabitur gloria Domini Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem; exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo.” Parallelismus locorum insinuat identitatem materiæ, nisi aliquid adjiciatur ad contrarium suadendum: nihil autem tale in Cap. Ixii. invenitur. 4°. Parallelus est quoque hic locus Isaïæ cum alio loco Zachariæ ix. 9, qui citatur

* Ita ipse Henderson, G. Lowth. R. Lowth, Waterland, Clarke, Scott, Hall, àc.

Matth. xxi. 5, tanquam ad literam in Christo impletus : videas loca. 5°. Tituli quibus, 1 Pct. ii., insignitur populus Christianus iidem fere sunt qui hic, vers. 12, occurrunt : —“ Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.”

96. Ne nimium his detineamur, vers. 25, Cap. Ixv., fere idem est quoad singula verba cum vers. 6, 9, Cap. xi, qui locus ab omnibus intelligitur ut regnum Messiae ab initio significans :—“ Lupus et agnus pascentur simul, leo et bos comedent paleas : et serpenti pulvis panis ejus : non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.” Primum versiculum hujus Capitis significare conversionem Gentium, et quæ sequuntur cæcitatem et rejectionem Judaeorum, patet ex Rom. x. 20, 21, et admittitur ab adversariis :—“ Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt me qui non quaesierunt me : Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non invocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum,” &c. : Isai. Ixv. i. 2 ; “ Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et cOntradicentem Rom. x. 20, 21. Tantum ergo abest septem ultima Capita Isaiaë de secundo adventu Christi in Millennio intelligi debere, quod quæcunque in illis ad Christum et Ecclesiam spectant non nisi de primo adventu Christi et de Ecclesia tunc et ex tunc existente intelligi possunt.

97. *Tertio*, Millennium istud repugnat non solum prophetiis Isaiaë, sed et aliis Scripturis, et signate Novo Testamento. I. Secundum Millenarios istos, veniet tempus in quo 1°, pax et tranquillitas externa et interna per uni.

versum orbem imperturbata dominabitur ; in quo 2^o, non amplius erunt hæreses et schismata, neque adversus Ecclesiam incursus erunt inimicorum invisibilium aut visibilium ; in quo 3^o, non amplius erunt bonum semen et zizania commixta ; in quo 4^o, non amplius Christus humiliatus et patiens erit exemplar bonorum, sed Christus triumphans et gaudens. Quæ omnia quam aperte Scripturæ contradicant jam satis dictum est, n. 75, 76, 77.

98. II. Secundum Millenarios, Ecclesia etiam adhuc ex viatoribus constans, aliquando et nonnisi post plurima secula in ipso fine mundi, statum assequetur, cui status ejus ab initio per tot usque secula comparatus angustus est, humilis, obscurus, squalidus. Promissiones Ecclesiæ factæ unitatis, sanctitatis, catholicitatis, &c., per tot hæc secula non implentur, aut nonnisi imperfecte imo imperfectissime implentur, in aureo isto ævo in fine seculoru: implendæ. Et hæc mutatio stupenda per gentem Judaicam iterum in Palestinam congregatam et coadunatam consummabitur. Sed hæc omnia non solum nullum ne minimum habent in verbis Christi et Apostolorum fundamentum, sed iisdem verbis aperte contradicunt; prout ex hoc opere ubique constabit, ex quo videbitur Ecclesiam a manu Dei in ipso ortu perfectam et omnibus numeris absolutam fuisse conditam.

99. III. Secundum Millenarios, fidelibus viatoribus et his in terris expectandum erit tempus summæ felicitatis et gloriæ temporalis. Sed, secundum N. Testamentum, felicitas et gloria temporalis pro nihilo habenda est et despicienda:—“Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi :” 1 Cor. vii. 31 ; “Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo Galat. vi. 14 ; “Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus

est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram:” Coloss. iii. 1, 2: vid.n. 76. Insuper divitiæ et magnificentia in domibus, vestibus, &c., ubique in Scriptura exhibentur ut impedimenta non solum vitæ perfectioris, sed etiam, etsi non necessario et ineluctabiliter (per gratiam Dei enim hæc peccati occasio, sicut et aliæ, ex proxima remota fieri potest), etiam ipsius salutis ; ideoque laudabiliter et salubriter evitanda, periculose sectanda; quæque magis decent filios hujus mundi quam filios Christi, qui de seipso dixit, “Vulpes foveas habent et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet Luc. ix. 58 ; “Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt Matth. xi. 8 ; “Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo : et veni, sequere me Arnen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum:” ibid. xix. 21, 23, 24; “Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso,” &c.: Lue. xvi. 19, &c. Ex quibus omnibus, posito isto Millennio, tria sequerentur doctrinæ Novi Testamenti valde repugnantia. . Gloria ista mundana et divitiarum coacervatio et felicitas et beatitas naturalis, quæ omnia, secundum Scripturæ dicta absoluta et diserta, sunt perfectionis omnino impeditiva et salutis æternæ per se valde periculosa, et insuper, secluso isto periculo, sunt (ut ipsa docet ratio), creaturæ rationali, ad finem supernaturalem et visionem Dei beatificam destinatae, nonnisi puro, summo et omnimodo contemptu digna, et ut talia temnenda et, saltem ad tutius et præsertim perfectius, fugienda; hæc, inquam, in isto Millennio, i. e. in statu Ecclesiæ perfec-

di? -

b'ii: i i ill

k -il

tissimo, hominibus adhuc viatoribus (hoc enim semper præ oculis habendum est), magnam imo et valde insignem partem illius felicitatis veræ et sacræ efficiunt quam toties et tam magnifice, ut aliquid præ omnibus antecedentibus tam eximium et exoptabile, prædicarunt Prophetæ. E contrario, paupertas, et aliae miseriae hujus vitæ, et “passiones hujus temporis,” quæ “non sunt condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis” (Rom. viii. 18), per quas efficimur conformes imagini Christi, et ejusdem coheredes et heredes Dei, ab illo Millennio penitus exulabunt. Quæ si ita se essent habitura 2°, haud parum, præsertim attenta imbecillitate nostræ naturæ, infirmaretur vis doctrinæ præfatæ et monitorum Christi et Apostolorum. Nos enim credentes, tempus esse, his in terris et posteris nostris, venturum, in quo ea quæ, vel tanquam illicita vel tanquam periculosa vel tanquam imperfectiora, nobis vel vetantur vel fugere consuevit, fient non solum licita et tuta, sed etiam summam perfectionem illius futuri status saltem partialiter efficiantia; nos, inquam, hæc credentes acriter exinde ad istam felicitatem nobis ipsis comparandam excitaremur. Et ita hæc doctrina nobis esset desideriorum mundanorum et operum exinde sequentium quasi occasio proxima, perpetua et, ut aiunt Doctores Theologiæ Moralis, *in esse*. 3°. Legem Veterem, quæ typica fuit et imperfecta, abrogavit Lex Nova—sed implendo et perficiendo: D. 4, n. 21. Secundum doctrinam vero Millenariam, Evangelium Christi alio erit, saltem quoad quaedam gravissimi momenti, abrogandum Evangelio, quo prius non perficitur (quod secundum actuale decretum Dei fieri nequit) sed turpatur: quo quæ terrena et carnalia sunt spiritualibus et divinis commiscebuntur, et cum iis pretio habe-

buntur : quo corda nostra quæ, quantum sinit conditio et infirmitas humana, ad pure cælestia semper et omnino, saltem de consilio, elevari debent, ad bona temporalia convertentur ; quo quæ nunc coram Deo despicienda sunt, gloriam habebunt, et quæ nunc coram Deo gloriam habent et quidem summam, et nos coram Deo beatos reddunt, locum non habebunt.

100. IV. Antiqui Judæi, tempore Christi et ante, expectabant Messiam longe alium ab eo qui vere venturus erat, et in Christo de facto venit. “Expectabant Pharisæi regnum Messiaë terrenum, illudque magna cum pompa, debellatis omnibus Judæorum hostibus, institutum iri sperabant,” ait *Ku in o e l*, in Luc. xvii. 20. Hunc errorem capitalem ex male interpretatis Prophetis, conjunctim cum propriis suis carnalibus affectibus, hausserunt. Inter utrumque regnum Messianicum, Judaicum istud et Millenarium, saltem quoad naturam et formam substantialem, nullam video diversitatem gravem. Si ergo, ut affirmant Millenarii, sex ultima Capita Isaiaë et alia insignia ejusdem et aliorum Prophetarum loca de Millennio intelligenda sunt, non male sed recte Prophetas interpretati sunt Judæi, nec in conceptu naturæ et formæ regni Messianici errabant, sed tantum in hoc quod in primo et non in secundo adventu Messiaë aureum seculum expectabant. Ex quibus sequitur 1^o, hac doctrina de Millennio inultum excusari imo et confirmari perniciosum illum errorem Judæorum : 2^o, aliquid in ipsis prophetiis aut saltem in N. Testamento inveniri debere, quo non obscure significaretur duplicem esse adventum Messiaë, sciz. ante adventum in die ultimi judicii, et in primo eum esse venturum in humilitate, paupertate, &c., et de hoc adventu sermonem esse in tali et tali prophetia ;

et in secundo adventu solo eum esse venturum eo modo quo expectabant Judæi, et de hoc adventu sermonem esse in tali et tali prophetia. Non solum autem nihil tale invenitur, sed e contrario aliquando in eodem contextu ejusdem prophetiæ, secundum adversarios (vid. n. 92, &c.), de utroque adventu agitur.

101. *Urgetur* Objectio I. Haud pauci ex SS. Patribus admiserunt doctrinam de Millennio.

102. *Resp.* Multiplex est species Millenniumi. ⁴ *Prima* est eorum qui tenuerunt Christum in fine mundi, per mille annos, post Antichristum devictum et ante diem universalis resurrectionis, cum sanctis suis a morte suscitatis in terris regnaturum in pace et sanctitate summa. Millennium hoc spirituale tenuerunt quidam Patres, sed ex gravioribus paucissimi, et tantum ut opinionem, nul-
lmodo autem ut fidem Ecclesiæ. Hæc opinio, quantum scio, nunquam expresse damnata est ab Ecclesia, a fide tamen communi aliena semper fuisse videtur, inutilis est et nullo solido nixa fundamento. Toto tamen cælo, ut evidens est, distat a Millennio jam refutato. *Secunda* est Cerinthiorum crassa et turpis, juxta quam, in novissimis diebus, sancti his in terris, per mille annos, vitam voluptatibus corporis deditam agent. *Tertia* est pure Judaizantium qui Ecclesiam Judaicam cum suis ritibus, in fine mundi, restaurandam esse somniarunt. De his omnibus vid *Natal. Alexand.*, Diss. 27, Art. 2: in 1 et 2 *Secui.*; *La Fosse*, de Deo., Q. 4, A. 2; *Klee*, Dogmata Christiana, P. 2, C. 7, § 7, n. 4, &c. *Quarta* species Millenniumi ea est quam jam (n. 86) descripsimus, quæque, quoad substantiam, tot hodie inter Protestantos auctores habet patronos, sed ex Patribus nec etiam unum.

103. *Urgetur* II. Quæ in Cap. LX et seqq. Isaiaë Ecclesiam respiciunt aut respicere putantur, certo in ea adhuc non sunt impleta; ergo in ejus aliquo futuro statu meliori implenda sunt. Ita innumeri Protestantes. Ergo, multi ex illis concludunt, tempore Millennium sunt implenda.

104. *Resp.* I. Ultima propositio non sequitur ex prioribus : sed hoc omisso, *Resp.* II. Dist. primam propositionem. Non sunt impleta in Ecclesiis Protestantibus aut in aliqua ex iis, aut secundum ideam Ecclesiæ Protestanticam : lubentissime Cone. : Non sunt impleta in Ecclesia Christi vera, sciz. Catholica : Subdist. : in sensu prophetiæ literalis, carnalis et falso : Cone. : In sensu spiritali et vero : Nego : vid. n. 69. Quomodo autem in Ecclesia Catholica implentur, et indesinenter et cumulate et ultra omnem modum et mensuram et ultra omnem spem et cogitationem implentur, ex hoc ipso Tractatu, ubi de illius Ecclesiæ Catholicitate, Sanctitate, &c., videbitur et ex aliis tractatibus de Sacramentis, &c., præsertim de Sacramento Pœnitentiæ et Eucharistiæ, de Sacrificio Missæ, &c. In his Tractatibus clare ostenditur quam effuse Deus Sponsam suam divitiis sacris et supernaturalibus perpetuo cumulat : vid. D. 3, n. 66, *not.*

105. *Urgetur* III., ex Isai. lix. 20 :—“ Et venerit Sion redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus.” Hic est locus a S. Paulo allatus, Rom. xi. 26, et ex quo probat conversionem Judæorum in fine mundi. In hoc loco ergo sermo non est de Ecclesia nisi in fine mundi : ergo nec in Cap. IX immediate sequenti.

106. *Resp.* L His omnibus concessis non sequitur sermonem esse de Millennium : aliud est cmm Millennium,

aliud conversio Judæorum. II. Verba S. Pauli sunt:—
 “Et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob, et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum.” Non relegat S. Paulus ad Isaiam nominatim, sed ad scriptum seu prophetiam aliquam sine nomine auctoris. Non autem constat hunc locum Isaiaë eum esse quem affert: 1°, quia alius est locus, Psalm, xiii. 7, qui bene concinit verbis Pauli:—“Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.” 2°. Quia dici potest “Paulum, qui miscere solet ex variis locis testimonia, scribentem *ex Sion*, ad alias Scripturas respexisse, quæ Salvatorem promittunt oriturum ex Sion, ut Psalm, xiii., lii., cix. ut ait Est ius, qui in hanc sententiam aliquantulum inclinare videtur.

107- III. Satis probabile est hunc locum Isaiaë eum non esse quem affert S. Paulus. Non solum enim non ad verbum concinit uterque textus—quod, fateor, nihili faciendum esset, quoniam, in locorum ex V. Testamento relationibus, sæpe non ad verba sed ad sensum attenditur—sed nec etiam quoad sensum. 1. Secundum membrum prophetiæ ut datur a S. Paulo, sciz. “et hoc illis, &c.” non invenitur in hoc textu Isaiaë, cujus loco hæc occurrunt:—“Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedunt de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore senfinis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum vers. 21. 2°. S. Paulus hic, ut omnes concedunt, sequitur Versionem Septuaginta, in qua verba sunt “*propter Sionem*,” *evekev*, non “*ex Sion*,” *er*. Textus Hebraicus, “*ad Sionem*,” bene,

quoad sensum, concinit cum Vers. Septuag., idem enim est venire *ad et propter* Sionem ; nullomodo autem cum verbis S. Pauli, “*ex Sion* dum (quod sedulo notandum est), in tribus locis Psalmorum supra indicatis, verba, “*ex Sion*,” ea sunt quibus utitur S. Paulus. Ex quo, ut admittit Henderson, “quidam, non sine ratione, arbitrantur Apostolum præ mente habuisse Psalm, xiv. [Vulgat. xiii.] 7, ubi eadem ipsa locutio occurrit, relate ad liberationem Judæorum.”* Fatendum est tamen singula vocabula in primo membro textus (“Veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Jacob,”) excepto solo vocabulo *epe/cci/*, eadem esse in Sept. Vers. Isaiaë ac in Paulo.

108. IV. Duplici modo, præter alios qui ad præsentem materiam non pertinent, aptari possunt verba promissionum et prophetiarum Scripturæ alicui objecto singulari vel particulari. 1°. Prophetia (idem de promissione), talis esse potest ut in illo objecto (seu, si velis, subjecto), cui aptatur plene adimpleatur et exhauriatur ; et ad aliud objectum, secundum sensum prophetiæ intentum sive proximum sive mysticum, extendi non potest. Tales sunt prophetiæ de ortu, titulis, dotibus divinis Messiaë, Isai. vii. 14; xi. 1, &c., et alibi. Talis est promissio facta Petro, Matth. xvi. 18, quod fieret petra Ecclesiæ, quæ promissio, sensu proximo, quem solum habet, tota in Petro et successoribus ejus impleta est et impletur, nec ad alios quoscunque extendi potest. Talis est promissio facta Davidf, Psalm. Ixxxviii. 5, 30,

* “It has not without reason been supposed that the Apostle had in his mind Pe. xiv. 7, where the identical phrase occurs, in connexion with the deliverance of the Jews.”

thronum ejus in aeternum esse mansurum, quæ in sensu mystico, qui solus sensus hic verus est et a Spiritu Sancto intentus, et de throno mystico sciz. Christi, tota impleta est, et non in alio. 2a. Talis esse potest prophetia (idem de promissione), quod, etsi affirmetur de quadam tota serie, v. g. personarum sibi succedentium, vel de quodam toto universali, v. g. de universo coetu fidelium, vel de quodam toto tempore, v. g. a Christo usque ad finem mundi, attamen non solum æque vera sit de facto, sed etiam a Spiritu Sancto intenta fuit æque vere affirmari de aliquo individuo in illa serie, aut de aliqua parte illius totius universalis, aut totius temporis, ac de tota serie, de toto universali, de toto tempore. Tales sunt multae prophetiæ et promissiones in Vet. et Novo Testamento. Promissio infallibilitatis facta Petro et successoribus ejus æque vera est de aliquo individuo Pontifice ac de tota serie. Promissio facta indefectibilitatis Ecclesiæ æque vera est et æque affirmatur de Sede Petri ac de Universa Ecclesia. Promissiones et prophetiæ in V. et N. Testamento de Ecclesiæ unitate, sanctitate, &c., æque veræ sunt et æque affirmantur de quovis particulari ævo aut die ac de toto tempore a Christo ad finem mundi. Promissiones de conversione acatholicorum et sanctificatione peccatorum quotidie implenda erant et implentur. His positis nil vetat quominus verba Isaiaë significant misericordiam divinam prout per Christum Salvatorem ab omnibus Christianis participatur, ab initio Ecclesiæ usque ad finem. Si autem, secundum alicubi revelatum, Judæi

* Promissiones hujusmodi (ut suis locis explicabitur) quatenus *positives* sunt morali modo impleri possunt; quatenus *negatives* sunt ne per unum temporis momentum cessant impleri.

sint in fine mundi convertendi, bene potuerunt hæc verba a S. Paulo huic ipsi conversioni applicari ; non quasi in ea sola impleantur et exhauriantur, sed quia eam comprehendunt.

109. Neque huic *objiciatur* S. Paulum afferre hunc locum Isaiaë ad probandam istam ipsam singularem conversionem Judæorum. Nulla autem esset vis probandi, si locus isto universali sensu intelligendus esset.

110. *Resp.* Probabilitate æquali dici potest S. Paulum, textu in se et nudo spectato, verba attulisse, non ad illam particularem conversionem probandam, sed utpote quæ in illa verificantur, et tanquam generalem declarationem et enunciationem infinitæ Dei in convertendis hominibus misericordiae, cujus hæc conversio Judæorum tam insigne exemplum esset : q. d. “ Convertentur Judæi secundum id quod scriptum est de infinita misericordia Dei in convertendis hominibus ad fidem.” Sola difficultas oritur ex verbis “sicut scriptum est.” Sed hæc verba non significant necessario textum per ea allatum per modum argumenti afferri, aut ad materiam cui applicantur solam pertinere et in ea unice verificari et impleri : quod constat exemplis ex hac ipsa Epistola ad Romanos eductis. Sic, Rom. ii. 24 :—“ Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est.” S. Paulus hic, ut communiter dicunt interpretes, ad Tsai. lii. 5, alludit. Sed sane verba quæ ibi occurrunt (“*Et jugiter tota die nomen meum blasphematur*”), non in solis blasphemis quæ tempore Pauli (“*per vos*” et “*blasphematur*”), *pYÔiitæ* sunt implentur et verificantur: neque adducuntur per modum argumenti ad id probandum quod hic de Judæis affirmat S. Paulus; sed tantum quod in illis verificantur sicut et in eorum patribus. Si-

militer, Rom. viii. 36 :—“ Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis.” Hæc verba, ex Psalm, xliii. 23, proxime respiciunt Judæos afflictos sub fine captivitatis Babylo-nicæ : sed vera sunt de fidelibus quovis tempore propter justitiam insectatis et afflictis, et ut talia a S. Paulo afferuntur.

111. Neque iterum *objiciatur*, S. Paulum, secundum nos, verba Isaiaë, lix, non in sensu vero quem habent apud Isaiam, sed in sensu accommodato, afferre. - Qui modus interpretandi loca V. Testamenti allata in Novo si semel admittatur, statim ruit vis invicta illius argumenti quo exploratus habetur scopus et materia plurium gravissimarum prophetiarum V. Testamenti, ex eo quod tali aut tali sensu in N. Testamento afferuntur.

112. Verba Scripturæ possunt afferri et de quovis objecto affirmari vel sensu *vero* vel sensu *accommodato*. Sensus veris ille est quem significari voluit Spiritus Sanctus, et est aut *proximus* aut *remotus*. Proximus est aut *literalis* aut *figuratus* vel *tropicus* (plerumque translatus seu metaphoricus) : remotus generatim vocatur *mysticus*. Hi omnes sensus sunt veri, et a Spiritu Sancto

* Etsi, quoad rem, non est inter Doctores Catholicos nec esse potest dissensio de illa distinctione sensuum, non conveniunt in usu vocabulorum. Sic quidam omnem sensum proximum pro literali habent, et litoralem, sive verba proprie sive metaphorice intelligantur, vocant. Qui a nobis literalis vocatur, sensum proprium seu *grammaticalem* vocant. Sensum vero mysticum et spiritualementem pro eodem habent. Est quæstio de vocibus : sed certe in nostra lingua Anglica vocabulum *literalis* (“literal”) figurato vel metaphorico opponitur. Vid. Bonfrerius, Præloq. C. 20, S. 2; Acosta, L. 3, C.5; Janssens, C. 5, S. 1; Glaire, vol. i., C. 6, A. 1; Patricius, L. 1, C. 1 et 2.

intenti : nisi quod omnis textus Scripturæ sensum habet proximum, nullomodo autem mysticum. Sensus omnis non literalis (sciz. figuratus, tropicus, mysticus), vocatur spiritualis. Sensus *accommodatus* est sensus verbis Scripturæ accommodatus alicui materiæ applicatis, qui tamen sensus nullomodo verus est, sive remote sive proxime, illorum verborum sensus prout jacent in ipsa Scriptura. Occurrunt exempla quædam hujus sensus accommodati locorum V. Testamenti in Novo allata, sed rara sunt. Vid. *Patuit.*, n. 189, et 475, &c. Nunc ad Objectionem—

113. *Resp.* 1°. Ex jam dictis de notione sensus accommodati patet interpretationem, n. 108, 110, prolatam nullomodo ut accommodatam sed ut veram proferri. 2°. Non infirmatur vis argumenti, &c., ut supra n. 111. Certum est enim omnia loca ex V. Testamento in Novo prolata, non sensu accommodato, sed vero esse intelligenda, quotiescunque vel explicite ista loca in aliqua re impleri et verificari affirmantur, quod significatur per verba “ ut impleretur quod dictum erat per prophetam Matth. xiii. 35, et similia ; vel cum hoc fit implicite v. g. argumentando ex locis allatis. (Vid. de his fusius *Bonfrer.*, loc cit. et alios). 3°. Insuper notandum est sensum accommodatum verborum ex V. Testamento isto sensu in Novo allatorum, etsi non sit sensus verus illorum verborum in V. Testamento, esse tamen prout denuo in Novo afferuntur ; *nunc* enim per ea hunc sensum significari vult Spiritus Sanctus. ,

114. V. (Ad Object, n. 105.) Vel iste textus Isai. lix. 20, cum sequentibus Capitibus ita nectitur ut idem habeat subjectum, vel diversum habet subjectum et est de materia prorsus diversa. Si *secundum* dicatur, ergo nullus est locus objectionis, ut patet. Neque statim et a

priori improbabilis censenda-est hæc hypothesis. Etenim, ut ait Bonfrerius (1. c., S. 3), u subinde more prophetico ab ima re ad rem aliam subito avolant [propheta?], alias a finira ad rem figuratam ita obscure et furtive, ut cum de diversis rebus ante et post sit sermo, videatur tamen totus contextus de eadem re esse, maxime ubi eodem nomine figura et res figurata afficitur; ut cum ab Israel carnali et populo Judaico tacite ad Israel spiritualem et populum Christianum salitur, idque sub eodem Israelis nomine.” Si *primum* dicatur, quoniam, ex jam probatis, ea quæ in seqq. Capitibus Ecclesiam respiciunt non de ea in solo quodam suo futuro statu, nec de sola conversione quadam futura Judæorum, nec ullomodo de Millennio intelligi possunt; ergo nec iste textus. Et sane quædam loca ex illis Capitibus in Novo Testamento, præsertim Ixi. 1, &c. (vid. n. 92), ea perspicuitate citantur tanquam Ecclesiam ab ipso ortu significantia, quæ certo de modo quo S. Paulus affert (si tamen afferat, vid. n. 106, 107) Isai. lix nullomodo affirmari potest. Sed hæc de hac objectione sufficiant, quam, nisi quod quidam adversariorum eam tanti facere videantur, tantum non produxissem.

115. *Urgetur* IV. Cum Dominus, Luc. iv. 17, &c., legisset usque ad verba “prædicare annum acceptum” inclusive, plicuit librum et, reddens illum ministro, sedit: quo dare significavit ea quæ sequuntur in Isai. Ixi, sciz. a medio versiculi 2, non» esse de eadem materia. *Keit h.*

116. *Besp.* I. Omisso quod non post verba illa, sed post verba immediate sequentia, “et diem retributionis,” finem legendi fecit Dominus—ex eo quod Christus et Apostoli afferendo loca λ. Testamenti post aliquod incisum sistunt, nullomodo sequitur ea quæ incisum illud

sequuntur ad eandem materiam non pertinere : imo, a priori et nisi aliquid positive obstaret, præsumptio potius in contrarium existerct. Non est opus in re tam plana congerere exempla. Ipsi adversarii, ut vidimus, dicunt S. Paulum afferre Isai. lix. 20, utpote in futura conversione et gloria Judæorum implendum: ergo, quoniam ibi sistit Paulus, quæ sequuntur in Isaia ad diversam materiam spectant; quod tamen illi vehementissime negant. II. Manifestum est legenti arctissimos esse nexus inter singula incisa Isai. Ixi. per totum, idemque subjectum.

117. Hæc sunt quæ ad tuendam interpretationem Millenariam, in operibus adversariorum, tanquam argumenta, prolata deprehendi. Alia quidem plura proferunt, sed prorsus infundata, declamatoria, inania.

118. *Object.* VII: contra argumenta ex prophetiis simul sumpta. Prophetiæ illæ ex Isai. ii., liv., &c., non erant implendæ 1°, in populo Judaico ut quodam toto, seu corpore et societate; nec 2°, in posteris Abraham tantum carnalibus, sed fidelibus Dei servis, seu Abraham posteris spiritualibus, i. e. sanctis. Ergo implendæ erant in Ecclesia invisibili. *LITTON*, pag. 159, &c.; *Recensio Evangelicalis*, n. 113, p. 295, &c.

119. *Resp.* I. Illi in quibus istæ prophetiæ implendæ erant—sciz. Christiani, quorum typus erat populus Judaicus—ubique, in illo typo, exhibentur ut quid integrum et totum. An vero Ecclesia Christi sit vera societas infra videbitur, ubi de unitate. II. Ad secundam partem Objectionis, *Dist.* Prophetiæ implendæ erant in fidelibus Dei servis et posteris Abraham spiritualibus: quatenus per fideles significantur illi qui veram habent fidem, et veræ Ecclesiæ sunt membra; ita ut *fidelis* op-

ponatur *injideli*: et quatenus per spirituales Abrahæ posteros significantur qui non per carnalem ab eo generationem sed alio modo in Ecclesiam cooptantur; ita ut posterii *spirituales* opponantur posteris *per carnalem generationem*: Cone.: Aliter: Nego. Ecclesia Judaica, et promissiones huic Ecclesiæ ut tali factæ ad propaginem Abrahæ carnalem limitatæ sunt—nisi forsan excipias *proselytos justitiæ*, qui tamen pauci fuere. Sublata Ecclesia Veteri in Christo, origo carnalis ab Abraha pro nihilo est. Illi sunt membra Ecclesiæ Christi quæ ei per vincula a Christo instituta coadunantur. Membra Ecclesiæ Judaicæ vocabantur carnales posterii Abrahæ; nos vero spirituales ejus posterii sumus. Promissiones non in societate sed in individuis implendas fuisse vult Litton. Illi individui, secundum illum, sunt sancti soli et ita in solis sanctis, i. e. in Ecclesia invisibili sola, implentur promissiones.

120. *Object. VIII.*: contra omnia argumenta ex Scriptura. Illi textus probant tantum existentiam cujusdam visibilis Ecclesiæ (“*a visible Church*”) quam nemo negat. Sed præter eam existit alia Ecclesia, quæ vera Ecclesia Christi est, et in qua implentur promissiones divinæ. Litton, passim.

121. *Resp.* Nullibi in Scriptura affirmatur aut insinuaturs duas esse Ecclesias. Ubicunque mentio de Ecclesia fit, de Ecclesia simpliciter fit, et de ea simpliciter et absolute factæ sunt promissiones; sive nomine *Ecclesiæ*, sive *Corporis*, *Templi*, &c., vocetur: Vid. dicta supra, D. 3, S. 2, 3, et textus infra afferendos ubi de Ecclesiæ unitate, &c.

122. *Object. IX.*: contra argumenta ex N. Testamento, n. 54, &c, seu potius contra quasdam eorum particulas.

I. Quoad Matth. v. 14:—“Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita potest lux aut civitas, etsi in se utraque sit clarissima, nubibus et nebulis obscurari: ergo et Ecclesia, quæ illis comparatur.

II. Quoad Matth. xviii. 17:—“Si non audierit eos, dic Ecclesiæ,” &c. 1°. Hæc verba non probant Ecclesiam esse omnibus, etiam iis qui extra sunt, visibilem, sed tantum fidelibus. 2°. Sermo est ibi non de universali Ecclesia, sed de aliqua particulari ecclesia; non enim Ecclesiæ universali deferuntur hujusmodi accusationes. 3°. Sermo non est etiam de aliqua ecclesia tota, sed tantum de ejus moderatoribus. *Sam, Gabdiner apud Gibson*, vol. xiv., pag. 254, &c.

123. *Resp. ad Primum.* 1°. Comparatio fit cum luce et civitate quatenus sunt objecta conspicua, non quatenus sunt obscurati obnoxia vel actu obscurentur. Et hoc est secundum universalem et certum usum loquendi. Sic, si aliquis, propter suam ignaviam, vocaretur “mulier,” statim intelligitur eum esse ignavum, etsi mulier dari potest fortis, et tales dantur. Sic, aliquis vocari potest “aquila,” ad significandam aciem oculorum ejus aut animi eximiam, etsi dari potest aquila cæca. Et sic in quocunque alio exemplo quod afferri potest. 2°. In textu *diserte* exprimitur id quod ipsa comparatio per se satis significat. “Vos estis lux *mundi*” i. e. non lux obscurata, sed lux per quam mundus illuminatur. // *Non potest civitas abscondi,* &c., ergo comparatio fit cum civitate non quatenus obscurari potest, sed diserte quatenus non solum non obscuratur, sed obscurari non potest. Simili modo Joannes Baptista a Domino vocatur non tantum “lucerna”—quod tamen abunde sufficeret ad sensum intentum significandum, sciz. lucernæ ardentis et

lucentis—sed “*lucerna ardens et lucens* :n Joann, v. 35. Sic, Simon non tantum vocatur “*Petra*,” non quatenus *petra* confringi potest, sed quatenus est quoddam firmissimum et firmans—quod abunde significat ipsa vox “*petra*”—sed diserte vocatur *petra firmissima et firmans*, quod a verbis subjunctis, “*et portæ inferi*,” &c., Matth. xvi., significatur : vid D. 6, n. 133, et seqq.

124. *Resp. ad Secundum.* Ad 1am particulam : varia Ecclesiæ munera, operationes, &c., omnino visibilia sunt non solum domesticis fidei, sed extraneis ; ut patet ex dictis, n. 57. Ad 2am. Variæ operationes in *singulis* ecclesiis particularibus factæ, simul junctæ sunt operationes Ecclesiæ universalis ; sicut omnes ecclesiæ particulares junctæ efficiunt Ecclesiam universalem. Ad 3iam. Dist. Per vocabulum “*Ecclesiæ*” significantur præpositi Ecclesiæ : Cone.: In toto textu non alii significantur, et directe et indirecte : Nego. Significantur reus, accusator, quaestio et sententia judicialis, publica excommunicatio rei contumacis, publica ejusdem deinceps a fidelibus evitatio, et uno verbo quæcunque hujusmodi negotia et comitari et sequi nata sunt.

§ 2.—Objectiones contra Propositionem.

125. *Object. X.* “*Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum* Matth. xviii. 44. Si ex nominibus *Domus, Corporis, &c.*, concludatur Ecclesiam esse visibilem, eodem jure ex nomine *Thesauri absconditi* concluditur eam esse invisibilem.

126. *Resp.* Trita est regula, omnibus tironibus nota, rerum *scum comparatarum* non esse exquirendas aut

urgendas similitudines, præterquam in iis qualitatibus in quibus comparantur. Sic, si vir fortis leoni comparatur, aut leo vocetur, in fortitudine sola comparatio fit: neque concludendum est illum virum debere, ut justa sit comparatio, habere jubam sicut leo, aut rugire sicut leo, &c. Sicut leo, ut terminus comparationis, est signum fortitudinis, vulpes astutiæ, asinus stoliditatis, &c., ita et thesaurus est signum pretii: prout constat ex usu communi, et in textu etiam clare declaratur per verba, “quem qui invenit homo,” &c. “Christus præcedentibus quatuor parabolis, scilicet, seminantis, seminis, grani sinapis, et fermenti declaravit naturam, vim et efficaciam Evangelii, id est, prædicationis et doctrinæ Evangelicæ, nunc duabus sequentibus, scilicet, thesauri, et margaritæ declarat ejusdem pretium, quod tantum est ut omnium rerum jactura merito sit comparandum A Lapid e, in loc.

<0

127. *Object.* XI. “Interrogatus autem a Pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum observatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est Luc. xvii. 20, &c. Per regnum Dei hic significatur Ecclesia Messiaë in terris: tum quia de hoc solo cogitabant Pharisæi; tum quia, ex responso, Christi illud regnum jam actu extitit. Atqui regnum hoc est invisibile, utpote quod venit sine observatione, et intra illos, i. e. internum, erat.

128. *Resp.* Variæ sunt interpretationes, magis aut minus probabiles, illius regni Dei, quas videas apud commentarios. Posito quod significetur regnum Messiaë in terris, seu Ecclesia, quæ mihi interpretatio multo probabilior est—Ecclesiam autem intelligo in suo initio et ra-

dice, non ut jam conditam et stabilitam, ut talis enim tunc temporis non extitit—dico Pharisæos expectasse Messiam esse venturum cum observatione, *περα ραπατηρησα*»[^] i. e. cum “splendore, pompa Schleusner, in voc. : “Cum regio splendore, triumpho, et aliis qualia expectabant Pharisæi et nunc quoque Judæi expectant. Nam externa pompa et majestas, sive aliæ similes res observationi aliorum patent Rosenmüller, in loc. Ita et Kuinoel, Whitby, Elsley, &c. Forsan ergo subdole interrogabant Christum de hoc regno, insinuantes ipsum, cum non ita venerit, non esse Messiam. Sed, sive hoc animo interrogaverint sive non, Christus eorum notiones erroneas, tum de *modo* tum de *tempore* adventus Messiae correxit, dicendo illum non venire cum isto apparatu, imo non esse venturum sed jam venisse, et regnum ejus in medio illorum esse—*εὐρω? ὑπὸ ὑμῶν, ἐν μέσῳ ὑμῶν* : ita Rosenm., Kuinoel, Bengel, Whitby, Bloomf., Elsley, in loc. contra Schleusn., Parkhurst, Robinson, in voc. Quod autem dicitur esse in medio hominum, hoc ipso non tantum non declaratur esse invisibile, sed e contrario declaratur esse omnino et valde visibile.

I29. Quidam intelligunt “intra vos” de regno Christi in animis justorum per gratiam. Ita quidem Christus regnat : sed per hoc non tantum non tollitur visibilitas Ecclesiae, sed efficitur et augetur. Quo latius enim est hoc regnum Christi, quo plures habet thronos spirituales in animis fidelium, eo magis per externam manifestationem illarum gratiarum fit Ecclesia formaliter visibilis et gloriosa. Hunc vero non esse genuinum sensum hujus loci tenent supra allati interpretes Protestantici, et patet ex eo quod certo in animis Pharisæorum non hoc modo

regnavit Christus. Neque admittendum contra hoc quod habet *Markland* apud *Parkhurst*, sciz. “vos” hic non significare solos Pharisæos sed omnes homines ; sicut in *Lue. xxii. 19*, “quod pro *vobis* datur,” significatur pro *omnibus*. *Resp.* 1°. Saltem includuntur Pharisæi, et, ut dictum est, non regnabat Christus isto modo in illis. 2°. Neque regnabat in omnibus, imo, tunc temporis, regnabat nonnisi in paucis—saltem paucis relative. 3°. Quoad *Lue. xxii.*, scimus, ex aliis locis innumeris, Christum fuisse traditum pro omnibus : sicut diserte habetur *Matth. xxvi. 28* ; *Marc. xiv. 24* :—“ Qui pro multis [i. e. omnibus] effundetur.” Scimus autem ex eadem Scriptura Christum non ita per gratiam tunc regnasse, aut etiam nunc in omnibus regnare.

130. Sed quicquid per hæc et alia verba hujus textus significetur, certum est non posse significari invisibilitatem Ecclesiae. Ecclesia enim eo tempore, jam inchoata et exigua, in ipso Christo eminenter et principaliter constabat. Christus autem erat tunc eminentissime visibilis ut divinitus missus et verus Messias.

131. *Object. XII.* “Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus : et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare:” *Joann. iv. 23, &c.* Ecclesia cujus cultus est omnino invisibilis, ipsa invisibilis est. Atqui talis esse debet cultus in Ecclesiae Christi.

132. *Resp. Nego Min.* I. Ipsi Protestantes suum cultum externum habent, templa, vestes ministeriales, conciones et orationes et cantus publicos, ritus et cærimonias, imo et, saltem in Ecclesia Constituta, etiam rubriculas suas.

133. IL Illa adoratio in spiritu et veritate, quodcunque significet, certissimo non significat cultum invisibilem et pure internum. Deum enim esse culto externo et visibili colendum clamat ipsa ratio (ut ostendunt Ethici Philosophi), clamat millies Scriptura, in qua externi actus fidei, spei et charitatis; zelus pastorum in praedicando, invigilando, gubernando, &c.; bonum exemplum, opera misericordiae, opera mortificationis, frequentatio Eucharistie, et alia innumera hujusmodi et cum his conjuncta, et verbis Christi et Apostolorum, et exemplis fidelium, commemorantur, suadentur, urgentur. In re adeo clara non est opus textus congerere: vici supra, n. 57. Sed hæc omnia ea sunt quæ variis modis cultum externum efficiunt.

134. “ Prædicta Christi verba referri possunt, vel ad locum, vel ad ritum et modum adorandi: atqui quocunque modo intelligantur, non favent adversariis.

“ Non primo modo: Nam interroganti Samaritan[®] ubinam adorare oporteret, an in monte Garisiin, ut Samaritani; an in templo Hierosolymitano, ut Judæi, respondit Christus venisse horam quando neque in monte, neque in Jerosolymis adorabunt Patrem: quasi diceret, nullo in loco certo astringendos fore ad adorandum; sed ubicunque voluerint, liberum ipsis fore adorare et publico ritu sacrificare Non secundo modo: Nam si prædicta verba intelligantur de ritu adorandi, nihil aliud significant, quam in lege Evangelica Deum non esse adorandum, vel ritu Judæorum, vel ritu Samaritanorum, sed ritu Christianorum proprio, qui est adorare in spiritu et veritate. Quid sit autem eo loci adorare in spiritu et veritate, varie exponunt Interpretes Tournelly, Q. 2, Art. 7.

135. Verborum “in spiritu et veritate” interpretatio illa nobis verisimilior videtur, secundum quam *Spiritus* opponitur cultui mere externo et absque debitis dispositionibus internis, de quo Malach. i. 10, &c. :—“Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra,” &c., et Psalm, xlix. 13, &c. :—“Numquid manducabo carnes tauro- rum ? aut sanguinem hircorum potabo ? Immola Deo sacrificium laudis,” &c. *Veritas* opponitur vel cultui falsorum deorum, vel typico cultui et ritibus Vet. Legis, secundum verba S. Pauli :—“Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum Heb. x. 1.

136. *Object. XIII.* “Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cælis,” &c. : Hebr. xii. 22. Ecclesia hic significata est Ecclesia Christi militans per oppositionem Ecclesiae Judaicæ, ut patet ex vers. 18 :—“Non enim, accessistis ad tractabilem montem,” &c. Sed Ecclesia hic significata est invisibilis ; ut patet ex ipsis verbis, et ex eo quod opponatur Ecclesiae Judaicæ visibili, monti tractabili.

137. *Resp.* Etsi quidam dicant sermonem hic esse de sola Ecclesia triumphanti, et ideo negant Majorem, germanior tamen videtur alia interpretatio, secundum quam Dist. Maj. Ecclesia hic significata est sola militans : Nego : Est partim militans et partira triumphans, et Apostolus a priori incipiens ad posteriorem ascendit : Cone. Per “Sion montem et civitatem Dei viventis” significatur Ecclesia militans, quæ ex probatis visibilis est. Quæ sequuntur autem “et multorum millium,” &c

significant Ecclesiam triumphantem. Quoad “tractabilem montem,” Ecclesia Christi huic opponitur, non ut invisibilis visibili, sed ut spiritualis terrenæ, ut realitas et perfectior typo et imperfectiori. “Antithesim hic instituit Apostolus inter modum, quo initum fuit primum fœdus, et modum, quo initum novum ; inter promissa, quæ in illo facta sunt, et promissiones, quæ factæ sunt in novo ; inter sanguinem, quo vetus sancitum est, et sanguinem, quo sancitum est novum ; inter spiritum veteris et spiritum novæ legis. Initum enim est primum fœdus cum terroris apparatu, secus ac factum fuit in novo ; promissiones illius fœderis erant temporales, spirituales vero promissiones novi, et æternæ ; sancitum illud est sanguine brutorum, sancitum vero hoc sanguine ipso novi mediatoris, Christi Domini ; spiritus veteris testamenti erat timoris et minarum, spiritus novi est spiritus amoris, seu adoptionis et gratiæ. Ad illud accesserunt Ilebæi corporeis vestigiis, ad istud Christiani accesserunt, et accedunt per fidem, qua præterea anhelant ad patriam cælestem, ad consortium angelorum et Ecclesiam primitivorum descriptorum in cœlis Per rone, P. 1, η. 83.

138. *Object.* XIV. “Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum 1 Pet. ii. 5. Ecclesia est domus spiritualis, et cultus ejus spiritualis est. Est ergo invisibilis. c

139. *Resp.* I. Quoad domum spiritualem ; Spirituality non opponitur visibili, sed vel significat *spiritualem* seu metaphoricam ut oppositam *literali* seu naturali, eo modo quo Ecclesia vocatur Corpus Christi, propter simi-

litudinein inter unionem ejus cum Christo et unionem corporis humani cum capite, &c. Ita intelligitur 1 Corinth. x. 4 :—“Bibebant autem de spiritali, consequente cos, petra.” Ita diserte de utroque loco, sciz., 1 Pet. ii., et 1 Cor. x., Robinson, in voc. πνευματ/λο . Vel significat *supernaturalibus donis cumulatum*, quo sensu opponitur *mundano, carnali, &c.* ; vel utrumque significat. Quoad hostias spirituales, hæ vel hostiis carnalibus et in se infructuosis Veteris Legis opponuntur, vel cuivis cultui externo, ut sic, et sine debitis dispositionibus internis præstito, vel utrique. II. Tantum abest Apostolus ab insinuanda Ecclesia invisibili, quod statim, vers. 9, visibilitatem eximiam adstruat :—“Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : *ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*” Ecclesiae ergo Christi est late declarare (“to declare abroad,” “to make widely known” Parkhurst, Robinson, in voc. εξαγγέλλω, hunc ipsum locum Petri afferrentes), divina sua charismata, mirabilia quæ in ea operatus est Deus ; et hoc quidem non ore tantum sed opere :—“Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate” 1 Joann, iii. 18.

140. *Object. XV.* “Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum,” &c. : Jerem. xxxi. 33.

141. Argumentum quod ex his verbis conficitur, quodque ut grave et decretorium a quibusdam Protestantibus affertur, non tollit visibilitatem Ecclesiae, nisi in quantum tollit ejusdem magisterium et auctoritatem in

docendo. Aptius ergo excutietur infra in Disput. de isto magisterio ; ubi ostendetur illud non solum non tolli isto textu, sed et firmari. Sunt et alii quidam, textus de quibus quid simile hic intelligi volumus.

142. *Object. XVI.* Catholici adeo extollunt magnique faciunt visibilitatem Ecclesiæ, ut vitam ejus internam, si non e medio tollere, saltem valde deprimere et minoris facere videantur. Veram essentiam Ecclesiæ non, ut Protestantes, in invisibili, sed in notis externis ponunt. Non vitam internam fundamentum et fontem illius quod visibile est faciunt, prout faciunt Protestantes ; sed, e contrario, quod visibile est faciunt fundamentum et fontem vitæ internæ. Hæc constant ex verbis Bellarmini, de Eccles. L. 3, C. 2 :—“ Hoc interest inter sententiam nostram et alias omnes, quod omnes aliae requirunt internas virtutes ad constituendum aliquem in Ecclesia, et propterea Ecclesiam veram invisibilem faciunt : nos autem, etsi credimus in Ecclesia inveniri omnes virtutes, fidem, spem, charitatem, et ceteras ; tamen ut aliquis aliquo modo dici possit pars veræ Ecclesiæ, de qua Scripturæ loquuntur, non putamus requiri ullam internam virtutem, sed tantum externam professionem fidei et sacramentorum communionem, quæ sensu ipso percipitur.” Quæ verba, ut patet, idem sonant ac si dixisset Bellarminus Protestantes facere internam societatem Spiritus essentialem Ecclesiæ veræ, Catholicos autem facere istam societatem non essentialem.—Litton, L. 1, C. 2, pag. 79,

* “ The controversy between Romanists [Catholics] and Protestants, in reference to the idea of the Church, is reducible to the question, Does the true being of the Church lie in its external characteristics, or in its unseen life? or, to put the same question in another form,

et iterum, pag. 194. Ita etiam Elliot, Delineatio, p. 449, et alii Evangelicales communiter.

143. *Resp.* Hic, sicut et alibi plerumque, errant adversarii Protestantici, doctrinam Catholicam nec vere nec integre apprehendentes. L Tanti facimus internam Ecclesiae vitam, interna ista charismata seu animam qua vivit Ecclesia, quod credamus et confiteamur externa et visibilia suam firmitatem et gloriam ex iis charismatibus derivare, et tanti esse quia ea quae tanti sunt manifestant, et iis demptis (per hypothesim impossibilem loquimur) nullius valoris fore, imo nullomodo amplius stare posse : vid. supra, n. 4, et D. 2, n. 38. “ Omnis gloria ejus filiae regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.” Non omnis quidem intus, sed *ab* intus. Laudando externam gloriam, laudamus eo ipso internam ; et quo magis laudatur illa, laudatur et hæc.

144. II. Non ponimus essentiam veram Ecclesiae in quodam externo, sicut nec in quodam interno, sed in utroque simul inseparabiliter juncto : sicut non ponimus essentiam hominis in anima sola aut corpore solo, sed in anima et corpore hypostatice unitis.

145. III. Quod visibile est in Ecclesia non facimus fundamentum et fontem vitæ internæ, sed vitam internam facimus fundamentum et fontem omnis exterioris gloriæ ejus. Quod dixit Paulus de seipso, “ Gratia Dei

Is the life within the foundation and source of that which is visible in the Church ; or, on the contrary, is that which is visible the foundation and source of the life within ?..... "Which [i. e. the passage quoted from Bellarmine], as is evident, is equivalent to saying, that Protestants make the inward fellowship of the Spirit essential, Romanists [Catholics] non-essential, to the idea of the Church in its truth.”

sum id quod sum” (1 Cor. xv. 10), et de Ecclesia pariter verum est : gratia Dei id est quod est. Quæ statim addit Paulus, “ Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum,” et de Ecclesia similiter verum est. Gratia Dei perpetuo docet et sanctificat homines, bonum certamen certat et abundanter laborat ; non illa autem, sed gratia Dei secum.

146. IV. Non dicimus internam societatem Spiritus esse non essentialem Ecclesiæ veræ, sed illam præ omnibus essentialem esse tanquam dogma fidei summum et tenemus et declaramus.

147. V. Ecclesiæ gloriam externam et visibilitatem eminentem magnificamus et collaudamus, quia 1°. Magnificatur hæc visibilitas toties tantumque in S. Scriptura, ut patet ex locis adductis in nostra Probatione. 2°. Per hanc visibilitatem Ecclesia enarrat gloriam Dei. Per hanc, sicut cum Israelitis in mari per columnam igneam, se Deus manifestat cum Ecclesia, in manu forti. Per hanc se veram et divinam esse ostendens, consolatur confortatque filios, et qui foris sunt ad se attrahit. 3°. Visibili suo ministerio, in variorum munerum functionibus visibilibus, dispensat mysteria Dei. Per juge magisterium, sacramentorum administrationem, &c., fides propagatur et sana conservatur, peccatores ad poenitentiam excitantur et justii fiunt, et qui justii sunt justificantur adhuc, et alia ejusmodi quotidie peraguntur ; prout partim in hoc Tractatu, partim in Tractatibus de Baptismo, de Eucharistia, et aliis, evincitur. Magna quidem res est hæc visibilitas, et magni certo facienda.

Adversarii, præter alios errores, hæc duo confun-

dunt, sciz., quod est essenziale Ecclesiae ipsi, et quod est essenziale ut aliquis sit membrum Ecclesiae. Virtutes fidei, spei, charitatis, &c., sunt essentielles Ecclesiae, ita ut illis nunquam carere possit. Sed non sunt, saltem omnes, essentialis conditio in individuis ut sint vera membra Ecclesiae ; prout jam ostendimus, D. 3, S. 2. Non omnia quae praedicari possunt aut debent de abqua societate, ideo praedicari possunt aut debent de singulis membris illius societatis. Natio Anglica jure vocari potest natio fortis et opulens, etsi multi sint Angli ignavi, multi pauperes. Litton Anglice reddens verba Bellarmini, “tamen ut aliquis *aliquo modo* dici possit pars verae Ecclesiae,” omittit illa duo vocabula “aliquo modo.”* Haec tamen gravia sunt ; per ea enim significatur membrum carens istis virtutibus non pertinere ad Ecclesiam perfecte, sed imperfecte, etsi, saltem si retineat fidem, (D. 2, S. 4), vere : vid. D. 2, n. 27, &c.

148. Multis urget hanc Objectionem Litton, praesertim L. 1, P. 1, C. 3, Sect. 2, a pag. 198 ad pag. 242. Sed nihil invenimus quod nobis negotium hic facessere debere putamus. Fere omnia enim fundantur in doctrina illa Lutherana de natura Fidei, quam describit seu definit, non ut assensum quo creduntur revelata a Deo, sed “internam apprehensionem Christi, fiducia in eo ut solo Salvatore.”! De hoc autem, ut jam dictum est, in Tractatu de Gratia. Cetera, si quae sint, vel sunt contra Puseyitas ; vel in nostra doctrina male intellecta fun-

* “But we deny that to constitute a man a member [“aliquo modo”] of the true Church, any internal virtue is requisite.”

f “It [faith] is an internal apprehension of Christ, a trust in Him as the only Saviour.”—Pag. 225.

dantur—ut cum dicit (pag. 203) Sacramenta, secundum nos, effectum habere “sine bono motu utentis.” His igitur omissis.

149. *Object.* XVII. In N. Lege spirituale rituali multo magis præponderat, quam in V. Lege. Ergo Ecclesia N. Legis debet esse minus visibilis. *Resp.* Ergo debet esse multo magis visibilis. Responsio patet ex dictis, n. 79r129, 143.

150. *Object.* XVIII. Corpus cujus Caput invisibile est, debet et ipsum invisibile esse. Atqui Caput Ecclesiæ, Christus, invisibile est.

151. *Resp.* I. Dist. Major. Si Deus rem aliter non ordinaverit : Trans, vel Cone. : Si rem aliter expresse ordinaverit : Nego. Vidimus autem ex verbo Dei eum aliter suam Ecclesiam constituisse. *Resp.* II. Nego Min. Christus in terris et in sua Ecclesia eminentissime et clarissime perpetuo visibilis est, non equidem in se, sed alio duplici modo 1°, in effusione continenti et copiosa gratiarum et charismatum, quæ eam ditant, et per eam in omnes effulgent. “ Super te . . . orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. . . . Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum Isai. Ix. Ixii. ; “ Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis ; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me Joann, xvii. 22, 23. Visibilis est 2°, in iis qui ministri sunt ejus (1 Corinth, iv. 1), præsertim in Romano Pontifice, (pii potestate plenaria, universali et suprema indutus, vices Christi gerit in terris :—“ Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit ; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me Luc. x. 16 ; “ Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos 2 Gorinth. v. 20.

152. *Object.* XIX. Illa debet esse invisibilis cujus certamen perpetuum est cum hostibus invisibilibus, sciz., diabolis. Atqui talis est Ecclesia.

153. *Resp.* I. Nego Major. E contrario, quoniam Ecclesia a Deo constituta est ut sacrum illud imperium magnum, quo conterendæ essent potestates infernales, et victoria crucis Christi reportaretur, omnino oportebat ut regiam et divinam suam majestatem manifestaret, i. e. ut esset eximie visibilis. *Resp.* II. Nego Min. Ecclesia hostes habet visibiles, mundum et carnem. Hostes habet invisibiles, qui eam impetunt non tantum invisibiliter sed visibiliter, sciz., excitando malos homines qui eam contristent, vixent, coarctent, et omnibus modis demoliri conentur.

154. *Object.* XX. Ecclesia fit visibilis per externam manifestationem dorum internarum. Atqui fieri potest quod hæ dotes amittantur, et quod ergo externa manifestatio, v. g. fidei, sit ficta et simulata : quo casu visibilitas non esset formalis.

155. *Resp.* Dist. Min. Manifestatio fidei, &c., potest esse ficta in paucissimis individuis, et ad breve tempus : Cone. : Per universam Ecclesiam, aut late per eam, aut ad longum tempus : Nego. I. Jam probatum est Ecclesiam esse indefectibilem. Si vero talis simulatio eam totam aut late invaderet, plane deficeret. II Naturæ hominum absolute repugnat, magnam multitudinem, etiam ad breve tempus, simulationem hanc induere : maxime quoniam talis multitudo constaret ex individuis variarum nationum, linguarum, præjudiciorum, &c., &c. ; et quoniam nulla esset ratio commodi aut voluptatis inducens in hanc simulationem, sed e contra multa ab ea averterent. Etiam pauci, nisi forsan unus et alter, in

tali simulatione diu persistere non possent : vid. D. 3, n. 93.

156. *Object.* XXI. Si Ecclesia sit adeo visibilis, toti mundo visibilis esse debet. Sed talis nunquam fuit.

157. *Resp.* Recole dicta supra, n. 10 : quibus hic addi potest, visibilitatem implicare quidem catholicitatem loci, sed non simultaneam per universum mundum. Sufficit lata illa diffusio, quam postea ostendemus esse attributum Ecclesiæ.

158. *Object.* XXII. Ecclesia potest undique ita afflictationibus et persecutionibus circumdari et obrui, ut ad interitum vergere videatur: quod quidem haud semel, tempore Imperatorum Romanorum, contigit. Atqui talibus certe temporibus non potest vocari eminenter visibilis. Hinc Ecclesia Christi vera et pura, sub longo Romani Pontificis dominatu, per media secula, “pusillus grex,” delituit, secundum prophetiam :—“Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis, a facie serpentis Apoc. xii. 14. Ita *multi Protestantes.

159. *Resp.* I. Dist. Maj. Ita potest Ecclesia afflictari, ut, re oculo carnis et humanitus considerata, et non attentis promissionibus Christi, ad interitum vergere videatur : Cone. : Re oculo fidei considerata, et attentis istis promissionibus : Nego.

160. *Resp.* II. Nego Min. E contrario, in afflictationibus istis præcipue manifestus est digitus Dei in Ecclesia : præcipue elucent attributa ejus divina, fides firma, sanctitas heroica, robur invictum. Insurgunt adversus eam caro et sanguis, insurgunt principes et potestates et rectores tenebrarum harum : et ipsa non est sapiens se-

cundum carnem, nec potens, nec nobilis, sed stulta et infirma et ignobilis et contemptibilis. Sed virtus Dei in infirmitate ejus humana perficitur. Vulneratur, et adhuc vitam habet, et abundantius habet. In speluncis et cavernis terræ concluditur ; et dilatat locum tentorii sui, et ad dexteram et ad lævam penetrat, et Gentes hæreditat, et civitates desertas inhabitat. Victrix, dum victa conclamatur, ostendit inferi portas superbas nunquam posse adversus eam prævalere. “ Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus.....Qui habitat in cælis irridebit eos : et Dominus subsannabit eos:” Psalm.

161. *Resp.* III. Quoad id quod additur de Ecclesia *pura* latitante, sciz., in Paulicianis, Albigensibus, &c., ommissa quæstione de eorum vera indole et moribus, f dico breviter statum illarum sectarum non tantum non similem, sed prorsus dissimilem fuisse statui Ecclesiæ tempore persecutionum sub Imperatoribus. Hæc enim non tantum non se in loca remota et obscura recepit et ibi se abscondebat, sed quo magis oppressa est eo magis claruit, crevit, ampliata est, ad dexteram et ad lævam penetravit ; ita ut vere scripserit Tertullianus de Eccle-

* Ephes. vi. 12; 1 Cor. ii. 26; 2 Cor. xii. 9; Joann, x. 10; Hobr. xi. 38 ; Isai. liv. ; Matth. xvi.

f Mirum est etiam hodie inveniri Prof,estantes specie saltem et nomine doctos, quos non pudet de sectis illis obscocnis, spurcis, nefariis humanius loqui. Fateor non multos tales scriptores dari, qui tamen ab auctore Protctantico vere docto, Maitland, in variis a se de hac materia editis commentariis, severe vapulant. De fanaticis istis, in quibus an crassa praevaleat ignorantia an vesania an spiritus mendacii statuere non posses, nil dicimus,

sia suo tempore, “Sanguis martyrum semen est Christianorum.” Quibus omnibus directe opposita de sectis istis affirmanda sunt.

162. *Besp.* IV. Quoad textum ex Apocalypsi: sive hæc verba intelligantur de persecutione primorum seculorum, sive, quod multo probabilius est (vide commentarios), de persecutione sub Antichristo, in fine mundi, sive de quacunque alia persecutione, non obstant visibilitati. Tum quia 1°, nihil est in textu quod insinuat defectionem gloriæ veræ et supernaturalis Ecclesiæ, sed tantum gravitatem et acerbitatem persecutionum, quibus, quo graviores et acerbiores sunt, magis magisque manifestatur Ecclesiæ victricis gloria. Tum quia 2°, expresse dicitur:—“Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. Et audivit terra mulierem, *et aperuit terra os suum, et absorbit flumen, quod misit draco de ore suo.*” &c., vers. 15, 16.

163. *Object.* XXIII. Ecclesia est objectum fidei. Creditur enim, ut tenent Catholici, et patet ex symbolo Apostolorum:—“Credo sanctam Ecclesiam catholicam,” et ex Symbolo Nicceno. Atqui objectum fidei non potest esse visibile: necessario enim obscurum et inevidens est: D. 1, n. 7,85. Ita multi Protestantes hodierni sicut et antiqui.

164. Communis Auctorum responsio est, quoad rem, ea quam dat Bellarminus, L. 3, C. 14:—“Dico in Ecclesia aliquid videri, et aliquid credi. Videmus enim esse coetum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille coetus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Vera enim Ecclesia est quæ profitetur Christi fidem. Quis autem evidenter scit, nostram fidem esse Christi? id quidem firma ac certissima fide credimus:

sed aliud est credere, aliud videre : imino ipsum credere definitur ab Apostolo, argumentum non apparentium.”

Ita, quoad rem, Stapleton, Relect. C. 1, Q. 3, A. 3 ; Gazzaniga, D. 3, n. 23 ; SylVius, Controv. L. 3, Q. 2, A. 1, ad Quart.; Becanus, Summa, Virt. Theol. C. 5, n. 7 ; Kick, n. 105 ; Billuart, D. 3, A. 3, Object. 3 ; Kilber, Princip. n. 97 ; Hieronymus, n. 434 ; Wiggers, n. 96 ; Antoine, S. 4, C. 3, A. 4, Object. 6 ; Charms, D. 1, C. 4 ; Nat. Alexand. de Symbolo, Art. 10, § 2.

165. Ignoscant mihi doctiores dicenti hanc mihi solutionem placere nunquam potuisse. Ecclesia enim est visibilis non tantum ut coetus hominum, sed ut Ecclesia, imo (n. 9, &c.) ut Ecclesia vera, et quidem unice vera. “Vera Ecclesia Christi visibilis est, non solum quia ubi, et in quibus personis visibilis sit, definite cognoscatur, sed etiam quia sensibus se exhibet, ut evidenter credibilem tanquam veram Christi Ecclesiam Suarez, Defens. L. 1, C. 8, n. 13. Similia habet ibid. n. 1, et de Fide, D. 9, S. 8, n. 1. Huic adstipulatur Kick, qui (n. 103), docet Ecclesiam esse ita visibilem, “ut talibus signis sit affecta, ut ab aliis coetibus infidelium possit discerni, et evidenter credibile sit eam solam esse veram.” Ita et alii.

166. Ne ex his ansam arripiant adversarii nostros praeclaros Theologos calumniandi quasi in doctrina dissentirent, in limine notandum est hos Auctores ne minimum in doctrina dissentire, sed dissidium esse totum in modo loquendi et in modo quo varia puncta doctrinae, ad ea explananda et defendenda, ordinent. I. Omnes uno ore pro certissimo declarant Ecclesiam veram esse *ut talem* clarissime discernibilem et evidenter credibilem per signa quaedam seu notas externas et sensibiles. II. Sed tractantes quaestionem de visibilitate Ecclesia'

*nt polemicam et contra varias sententias Protestantium, hanc visibilitatem quasi formis et gradibus diversis et minus aut magis perfectis proponunt. 1°. Quoniam erant Protestantici scriptores, imo et hodie sunt, qui affirmarent Ecclesiam posse, saltem aliquandiur ad paucos contrahi qui in angulis latitarent, et idcirco non esse visibilem, aut saltem non conspicue visibilem, etiam materialiter et ut coetum hominum ; hinc quidam Theologi aliquando visibilitatem Ecclesiæ tantum ista manca forma defendunt. 2'. Alii Protestantes dicunt Ecclesiam ita fieri posse invisibilem ut non sit distinguibilis ut coetus religiosus et Christianus vocatus, aut saltem simpliciter distinguibilis tanquam coetus distinctus a ceteris coetibus se Christianos vocantibus. Hinc multi Theologi visibilitatem tantum ut huic doctrinæ hæreticali oppositam considerant. 33. Alii vero Theologi quidam visibilitatem ista forma integra et perfecta defendunt, qua et nos eam in præsentis Disputatione defendimus. III. Sed Theologi qui, *tractantes visibilitatem*, eam non nisi prima aut secunda ex dictis formis spectant, *tractantes quæstionem de Notis Ecclesiæ*, visibilitatem, etsi forsitan sub alio nomine, integram et perfectam, ut nos hic, *omnes* contemplantur et defendunt. Hæc omnia ex inspectis nostris Theologis clare constant.*

167. Ecclesia ut visibilis primo et secundo modo jam dicto cognoscitur evidentia intrinseca, et quidem oculis corporeis conspicitur vel conspici potest, et non est objectum fidei. Cum vero dicitur Ecclesiam esse visibilem tertio modo, longe alio sensu intelligitur vocabulum illud *visibilis*. Hoc modo Ecclesia dicitur esse visibilis ut Ecclesia vera, non quatenus ut talis videtur oculis corporeis aut quavis alia evidentia intrinseca, sed

quatenus est evidenter credibilis et discernibilis (D. 1, η. 89) per eas dotes et attributa divina, quæ exterius manifestata eam esse divinam demonstrant. Tota ergo ratio difficultatis in eo latet quod vox *visibilis* duplicem habeat significationem, et in eo quod Ecclesia sit, in utroque sensu vocabuli, aliquo modo visibilis, sed non nisi in secundo sensu visibilis *ut Ecclesia vera*. Igitur ad Objectionem, n. 163,—

168. *Eesp.* I. Dist. Maj. Ecclesia vera, reduplicative, seu ut Ecclesia vera spectata, est objectum fidei : Cone. : alio modo spectata: Nego. II. Dist. Min. Objectum fidei non potest esse visibile, si significetur visibile sensu primo jam dato : Cone. : Si, sensu secundo : Nego. Imo objectum fidei non potest fide divina credi nisi sit aliquo modo hoc sensu visibile : D. 1, n. 90. Responsio ex jam dictis patet.

169. Ut explicatior sit hæc materia haud abs re erit quædam addere de sensu et modo quo Ecclesia visibilis sit objectum fidei. I. Quæstio non est de generali propositione, “Ecclesia Christi est visibilis ut vera.” Hæc propositio, ut constat ex nostris argumentis, est revelata et objectum fidei : nec habet evidentiam intrinsecam, nisi forsan probabilem et conjecturalem. Antecedenter enim ad cognitam voluntatem Dei, ex sola revelatione cognoscibilem, de salute omnium hominum, et de necessitate pertinendi ad veram Ecclesiam, aut antecedenter ad cognitum ejus decretum positivum de visibilitate Ecclesiae, non potest demonstrari eam esse debere, praesertim essentialiter et perpetuo, visibilem. II. Nec quæstio est de altera propositione, “Ecclesia Christi est nunc visibilis” (semper intelligo “ut vera”). Hæc propositio est revelata et objectum fidei, et quovis tempore usque

K

ad finem mundi fide divina credibilis. Cum enim revelatur Ecclesiam esse *perpetuo* visibilem, hoc ipso revelatur eam esse hoc et illo et quovis alio tempore visibilem :

170. Sed, III., quæstio est de ipsa existent! singulari Ecclesia vera, v. g. Ecclesia Catholica nunc vivente sub Pio IX. Summo Pontifice (quam hic, exempli causa, supponimus esse veram Ecclesiam Christi), quomodo sit simul visibilis ut vera, et objectum fidei ?

171. *Reep.* Plura sunt (quæ, jam leviter tacta, D. 1, n. 69, *not.*, late, in fine operis, ubi de Notis Ecclesiæ, declarabimus), quæ duplici modo signa sunt veritatis Ecclesiæ Catholicæ splendidissima, et motiva credibilitatis firmissima. I. Bene exploratum haberi potest, eodem modo quo quodvis aliud factum publicum et permanens, v. g. mirabilem et perfectam existere in illa Ecclesia unitatem in catholicitate. (Hoc attributum hic exempli causa afferro, idem de aliis attributis et signis dicendum.) Posita autem humana natura qualis est, impossibile est talem unitatem aut casui fortuito, aut cuivis solertiæ aut sapientiæ humanæ, aut cuivis causæ naturali referri posse. Tota ejus ratio in speciali et extraordinaria providentia Dei, et in hac sola, collocanda est. Providentiam vero hanc non sane in gratiam Ecclesiæ falsæ manifestare potest Deus. Ergo hæc Ecclesia est vera Ecclesia Christi —digitus Dei est hic. II. Alia via ad eundem finem pervenitur. Ex $\delta\omicron\pi\rho\zeta\eta\Gamma\eta$ et Traditione clara colligitur Ecclesiam Christi talibus et talibus dotibus, v. g. unitatis, sanctitatis, &c., instrui ; et illas in ea non tantum perpetuas esse et conspicuas, sed in ea sola, saltem omnes simul et illo modo, inveniri posse. Ex observatione facile colligitur Ecclesiam Catholicam, et quidem solam, hasce

dotes possidere. Ex quibus concluditur eam esse veram Ecclesiam Christi.

172. Sed his objici potest, Equidem Ecclesiam Catholicam esse visibilem satis probatur : sed, cum argumenta ista non pariant nisi evidentiam intrinsecam, eo modo quo argumenta philosophica probant existentiam Dei, qui hoc modo ducitur ad Ecclesiam, eam esse veram credit, non propter auctoritatem Dei revelantis, sed propter ista argumenta ; ergo non credit fide divina.

173. *Resp.* I. Concesso illum qui isto modo ad Ecclesiam ducitur, primo assensus actu, non nisi assensu scientiæ credere : attamen, isto actu jam subjectus Ecclesiæ, deinde ejusdem definitionem de sua veritate propositam, alio actu assensus veræ fidei credit, sciz. propter divinam auctoritatem sic per Ecclesiam sibi manifestatam. Sic credens Deum existere assensu scientiæ propter argumenta philosophica, deinde assensu fidei credit existere eundem Deum se postea revelantem.

174. *Resp.* II. Sed mihi videtur taliter adductum fide credere divina, etiam isto primo actu assensus. Evidentia enim illa non probat *proxime ei immediate* Ecclesiam Catholicam esse veram, sed proxime et immediate probat testimonium existere divinum idtestificans: deinde propter hanc testificationem, i. e. propter auctoritatem Dei, creditur res testata, sciz. illam Ecclesiam esse veram. Signa enim illa sese produnt ut manifestum opus manii Dei in Ecclesia, eam defendentis, firmantis, amantis, dilatantis, i. e. plane testificantis eam esse suam veram Ecclesiam. Seu, aliis verbis, sunt signa credibilitatis testimonii Dei : per ea demonstratur et discernitur adesse hoc testimonium ; et propter testantes auctoritatem creditur objectum testificatum. Sic, miracula facta a Christo

non probaverunt proxime veritatem ejus doctrinæ : sed proxime probant eum esse divinitus missum et summa fide dignum ; deinde propter liane ejus auctoritatem clare credibilis et credenda facta est ejus doctrina :— “Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo:” Joann, iii. 2; “Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me:” Ibid. v. 36. Cui hæc responsio non placuerit, eligat primam, n. 173.

175. Neque contra hanc secundam responsionem dicatur, Fidem divinam haberi non posse, nisi definiente et proponente Ecclesia. Atqui taliter credenti Ecclesia non proponit dogma creditum, sciz. se esse veram Ecclesiam ; quod, in casu, creditur propter ista signa credibilitatis. ' .

176. *Resp. I.* Major, etsi regulariter, non tamen necessario aut semper vera est. Ad fidem sufficit certitudo, undecunque habeatur, Deum locutum fuisse. Sed de hoc postea, suo loco: interim, vid. *Lugo*, D. 1, n. 251, et D. 12, n. 8. *Resp. II.* Nego Min. Ecclesia enim, in se exhibendo præfata signa, eo ipso se proponit ut veram.

177. Sed manet difficultas quædam adhuc solvenda. Dicimus de fide esse non solum generalem propositionem, quæ affirmat Ecclesiam Christi esse semper visibilem ut talem, sed etiam propositionem quæ affirmat hanc individuum Ecclesiam hodiernam sub Capite suo Pio IX. esse visibilem ut veram Ecclesiam Christi. Sed nullibi hoc revelatur de hac Ecclesia hodie existenti. Ergo propositio ista non potest esse de Fide : D. 1, n. 22.

178. *Resp. L* Prima responsio esse potest istam propositionem, “Ecclesia Catholica hodie existens est visibile ut Ecclesia Christi,” non esse revelatam ; esse autem

conclusionem certissimam ex duabus præmissis, quarum una est revelata, altera vero ex observatione evidens, hoc modo eductum :— Ecclesia quæ est visibilis ut una, sancta, &c., est visibilis ut Ecclesia Christi : Ecclesia Catholica est visibilis ut una, sancta, &c. Ergo est visibilis ut Ecclesia Christi. Major propositio est ex ipsa ratione evidens (n. 171, I.), sed est etiam revelata, et ut talis hic spectatur. Minor est evidens ex observatione, et affirmat factum dogmaticum certissimum.

179. Hæc responsio non placet, tum ob rationes infra, n. 181, dandas; tum quia, recitando verba symboli “Credo sanctam Ecclesiam Catholicam,” credimus non solam Ecclesiam olim existentem, sed etiam hodie et omni tempore existentem. Jamvero non videtur aliquam esse partem symboli, quæ non est immediate revelata, sed tantum conclusio theologica.

180. II. Secunda responsio esse potest istam propositionem esse de fide, secundum doctrinam eorum qui tenent conclusionem ex duabus præmissis eductam, quarum una est revelata altera evidens, esse ipsam deiinibilem de fide: D. 1, n. 41.

181. III. Tertia responsio est Suarez :—“Respondeo primo Apostolorum Ecclesiam et nostram unam et eandem esse, ac proinde qui illam esse veram Ecclesiam revelavit, idem de hac nostra voluit manifestum ; omnia siquidem ea loca, in quibus Scriptura docet Ecclesiam perpetuam non de illa tantum loquuntur quæ tempore Apostolorum extitit, vel nunc existit, sed de illa prorsus quæ tota temporum successione eadem perseverat. Secundo, hanc esse veram Ecclesiam, quam nos dicimus, non ex vi alicujus syllogismi, sed per immediatam revelationem credimus, quæ sufficienter nobis proponitur per

evidentia signa credibilitatis, ut ostendimus suo loco ; itaque intelligendum est, Deum a principio revelasse, et per Apostolos docuisse, eam esse ejus Ecclesiam, quæ evidentibus signis, modo jam exposito, visibilis et credibilis pro diversitate temporum conspicitur. Tertio, hoc idem perpetua traditione et communi Patrum consensione habetur, quam traditionem esse infallibilem regulam fidei supra docuimus ; quamvis enim Patres non loquantur de his hominibus in individuo, qui nunc sunt, loquuntur tamen formaliter de hac numero Ecclesia, et congregatione habente eas proprietates, quas ipsorum tempore Ecclesia habebat. Quarto, ipsa Ecclesia seipsam proponit ut veram, et quia sufficienter et evidenter proponitur, ideo obligat ad credendam talem veritatem, non minus quam cæteras ad veram fidem pertinentes : quemadmodum verus Propheta, qui sufficienter proponit res sibi a Deo revelatas, consequenter proponit sufficienter se esse verum Prophetam. Denique, sicut Judæi tenebantur credere futurum esse verum Messiam, eum hominem in quo implerentur omnia quæ de Messia erant prædicta a Prophetis, et postea aperte videntes impleta esse illa omnia in hoc homine Christo, tenebantur credere hunc ipsum hominem esse illum Messiam promissum, et jam hoc sufficienter illis revelatum, quamvis non essent alia miracula, nec alia signa ; ita," &c. : Suarez, de Fide, D. 9, S. 9, n. 14.

Sectio Quarta.-NOTULÆ DE DUOBUS EFFATIS PROTESTANTIORUM.

182. Etsi ad finem operis differatur tota tractatio de Notis Ecclesiæ, et de quaestione, Quænam Ecclesia hanc vel illam notam vel omnes notas habeat, aut aliqua vel

◀

DE VISIBILITATE ECCLESIAE

omnibus ex illis notis careat ; vellem tamen hic effata duo de visibilitate suæ ecclesiæ a Protestantibus nostris hodie multum decantata Breviter perstringere. Equidem per applicationem notarum, definiri non potest quænam Ecclesia sit visibilis ut Ecclesia vera, nisi prius definiatur quænam sint attributa et notæ veræ Ecclesiæ : nec etiam, nisi statutis illis attributis, per applicationem eorum, statui potest quænam Ecclesia non sit visibilis ut vera. At tamen alia via, posita sola visibilitate ista forma generali qua in hac Disputatione spectatur, bene definiri potest hanc vel illam sectam non habere visibilitatem quæ est proprietas essentialis Ecclesiæ Christi. Quæcunque enim sint illa attributa in quibus Ecclesia visibilis esse debet, saltem ex jam dictis constat illam visibilitatem esse perpetuam et indeficientem. Si ergo existât aliqua ecclesia, de qua jure affirmari potest eam aliquando non extitisse, statim sequitur illam, quantumvis se jam visibilem esse jactet, non habere visibilitatem Ecclesiæ Christi.

183. Hinc argumentum illud molestum, in forma quæstiunculæ, contra visibilitatem omnium et singularum sectarum Protestanticarum, vulgo proferunt Catholici dum quærunt a Protestantibus, “ Ubinam fuit Ecclesia vestra ante tempus Lutheri?” (vid. supra, n. 1), quo significari volunt eam usque ad illud tempus nullibi extitisse. Huic argumento Protestantes communiter solutionem se dare putant decretoriam et ultimam, respondentes, “ Nostra Ecclesia extitit, ubi vestra nec existit nec unquam extitit, sciz. in Bibliis.” Lepida quidem et dicax hæc responsio, et, si lepores factiæque arma ministrarent theologica, haud temnenda. Sed—

184. *Resp.* Nec Ecclesia Protestantium nec nostra Ecclesia nec quævis alia Ecclesia existit aut existere po-

test in Bibliis, magis quam cælum stellatum existit in tabula cælestivel commentatione astronomica, aut omnes volucres bestiae et pisces existunt in libro historiae naturalis. Ecclesia est cœtus hominum : et in Scriptura existant loca plurima unde effonnari potest delineatio institutionis et constitutionis hujus cœtus; quænon magis confundi potest cum ipso coetu, quam effigies hominis cum ipso homine.

185. Si reponatur, Protestantes, dicendo suam Ecclesiam in Bibliis extitisse, per hoc non aliud velle significari quam quod eorum religio, præsertim vero eorum systema doctrinæ, ibi existât.

186. *Besp.* Si hoc tantum velint, responsio eorum ad quæstiunculam Catholicam est extra rem, et argumentum in ista quæstiuncula contentum manet intactum. Sive enim eorum fides Protestantica in Scriptura contineatur, necne, non est quæstio de aliquo systemate doctrinæ an verum sit vel falsum, sed de singulari Ecclesia seu collectione ecclesiarum sciz. Protestanticarum, an semper fuerit visibilis, necne. Hoc est enim argumentum Catholicum—Ecclesia Christi vera est perpetuo visibilis : Atqui Ecclesia Protestantium non fuit perpetuo visibilis—tibi enim fuit ante Lutherum visibilis? Minor propositio involvit quæstionem *facti*, et ut talis debet resolvi.

187. Alio modo quæstiunculæ respondent alii Protestantes, contra rogando, “ Ubinam fuerit hoc mane facies tua, priusquam abluta erat ? * ”

* The question which Romanists so confidently ask, Where was your church before Luther? is well answered in the homely retort, Where was your face this morning before it was washed.”—*Evangelical Jew* (allat. n. 22, 28), pag. 300, *not.*

188. *Resp.* Ergo inter Ecclesiam Catholicam et Protestantiam aliquam aut omnem non majus intercedit discrimen quam inter faciem illotam et lotam ejusdem hominis, eodem die ! Ergo Protestantismus visibilis est in ipso Catholicismo ; et Lutherus et primi Protestantes ut rebelles adversus Papam, et cum ut Antichristum et Ecclesiam Catholicam ut Babylonem maledicentes et execrantes, visibiles erant in eodem Lutero et iisdem Protestantibus cum adhuc Catholici essent, et Papam ut verum Vicarium Christi et Ecclesiam ut veram Ecclesiam Christi haberent et venerarentur ! Ergo ea omnia quæ in Ecclesia Catholica tanquam damnabiles superstitiones et idololatrias habent Protestantes (n. 17-20), non magis mutant aut vitiant naturam Ecclesiæ, quam sordes illa exigua quæ in facie hominis illota inveniatur, mutat et vitiat ipsam substantiam faciei ! Quid plura ?

V**'0J>* f